

Q. 171 //



Ve
1621

DISSERTATIONEM IVRIDICA

DE

X 225 6190

ORIGINE ET PROGRESSV
COMMVNIS SAXONVM
MANVS

C O N S E N S V

MAGNIFICI ICTORVM LIPSIENSIVM
ORDINIS

P R A E S I D E

D. IOAN. GODOFREDO BAVERO

P. P. ET FAC. IVR. LIPS. ASSES.

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI

D. 31. MART, ANNO clō Id CCXLVI.

S V B M I T T I T

IOANNES CHRISTOPHORVS MARSCHALL

W V R C E N. M I S N.



L I P S I A E

EXCVDEBAT IO. GOTTL. IMM. BREITKOPE



DISSERTATIONEM IURIDICAM

DE

ORIGINE ET PROGRESSU

COMMUNIS SACHSONUM

MANUS

SCRIPTURAE

MAGNETICI LOCUTORII EXPERIMENTUM

SCRIPTURAE

DE IURE

D. JOHANNIS GODEFRIDI BAYERI

PHILOSOPHI

PHILOSOPHI

PHILOSOPHI

PHILOSOPHI

PHILOSOPHI

PHILOSOPHI

PHILOSOPHI

PHILOSOPHI





DE
ORIGINE ET PROGRESSV
COMMVNIS SAXONVM
MANVS

§. I.



INVESTITVRAM rei in feudum datae vel vnus, vel plures accipiunt. Illa vocatur SINGVLARIS, haec SIMVLTANEA. Verbum SIMVLTANEAЕ INVESTITVRAE & *generale* est, & *speciale*. *Generale* omnes continet species, quibus plures personae de eadem re investuntur, quamuis nulla inter eas sit communio. At *speciale* tum demum vsurpatur, quando plures de eadem re inuestiti in communione juris per inuestituram adquisiti versantur.

*Verbum si-
multaneae in-
vestiturae &
generale est, &
speciale.*

A

§. II.

§. II.

Generale con-
venit expecta-
tinae inuesti-
tura euentua-
li confirmatae.

Igitur *generalem* INVESTITURAE SIMULTANEAE appellationem nonnullis placere videas, quando quis de feudo non vacante, sub conditione, si vacet, inuestitur. HORN I. F. c. XII. §. 25. B. G. STRVV I. F. C. XIV. §. 2. FLEISCHER *Inst. I. F. c. XIV. §. 2.* Cuiusmodi inuestitura curatius quidem *expectantia inuestitura euentuali firmata* vocatur. PRAESES *d. iur. succ. in Duc. Jul. & Mont. §. XVII. & d. indol. & nat. inuest. feud. §. XLIII.* Nam inuestitus cum fideli, qui clientelam possidet, non contrahit communionem iuris beneficiarii, quin possessor, ob illius infeudationem, de iure suo nihil amittit, sed saluum retinet, quod habet, dominium vtile, quum id euentualiter inuestito non cedatur, nisi sub conditione vacationis, nec ante conditionem existentem, & ius possessoris finitum, effectum sortiatur. II. F. 26. §. moribus. SCHILTER *d. similt. inu. C. I. §. 5.* PRAESES *d. indol. & natur. inuest. feud. §. fin.* Quia vero hoc ius constituitur per inuestituram de re, cuius dominium vtile adhuc ad alium pertinet vasallum, inde euentualiter inuestitus sensu supra dicto non sine ratione accipit nomen simul inuestiti.

§. III.

Non simplici
expectantinae,

Secus est in simplici expectiuato. Qui etsi cum euentualiter inuestito conueniat, quod ambo possessionem rei beneficiariae, ante eius aperturam, consequi nequeant: attamen nuda clientelae expectantia, ab ea, quae

quae inuestitura firmatur euentuali, omnino differt, & ne dum in terminis simplicis subsistit conuentionis, & ne quidem dominium feudi expectandi, eueniente apertura, largitur expectiuato. HORN I. F. C. XII. §. 7. & 12. Nam verissimum est, quod actionem realem, aduersus tertium possessorem non producat, sed tantum personalem contra promittentem, eiusque heredes, ad fidem promissi seruandam, vel, si haec seruari nequeat, ad interesse refundendum. arg. II. F. 7. in fin. iunct. l. 38. §. 7. & 15. d. usur. l. 6. C. d. hered. vel act. vend. l. 1. pr. l. II. §. 9. d. act. emt. l. 4. C. cod. SCHRADER d. feud. P. V. c. 2. n. 19. STRVV S. I. F. c. VII. aph. 7. n. 2. Expectiuatus ante inuestituram ne quidem possessionem vacantis beneficii incio Domino nancisci valet, sed ad traditionem agere debet arg. l. 5. d. A. & A. P. HORN d. C. XII. §. 13. & regulariter demum per inuestituram consequitur possessionem. II. F. 2. II. Feud. 33. pr. II. F. 8. II. F. 26. §. si facta. II. F. 88. Qua si ante vtatur, reuerentiam & ius laedit Domini directi, ea propter beneficio acquirendo aequae indignus, ac vasallus, qui illud adquisiuit, eius priuatione, ob laesionem fidei, quam Domino debet, coërcetur. II. F. 23. 24. Ex aduerso euentualiter inuestitus, vi inuestiturae olim impetratae, dominio gaudet vtili, quod purum euadit, simul ac clientela vacat. Vnde hanc libere possidet, nec eum in finem noua indiget inuestitura. BORN d. expectatiu. C. VIII. §. 19. PRAESES d. ind. & nat. inuest. feud. §. fin. Vides ergo, nullam subesse rationem, cur

Quae non aequae, ac euentualis inuestitura, ius domini & possessionis tribuit.

SIMVLTANEAEE verbum INVESTITVRAE perinde ad simplicem expectatiuam, ac ad inuestituram euentualem proferatur.

§. IV.

Non comenit generale si-
multaneae in-
uestiturae ver-
bum feudo iu-
re antiqui vel
pro fratre ad-
quisito.

Nec video causam, quare cum HORNIO d. C. XII. §. 25. STRVV S. I. F. C. IX. aph. 14. n. 2. RICCIARDO DE ANTIQVIS d. of. iur. feud. Longobard. in Germ. terr. §. LIX. & plerisque interpretibus eandem appellationem tribuas speciei in I. F. 1. §. sin autem. I. F. 14. §. 2. II. F. 12. 18. 90. occurrenti, quandoquidem nouum quis adquirit feudum, cum pacto, vt frater succedat. Vt enim tale beneficium ab eo, quod conceditur *iure antiqui*, in eo tantum differt, quod in hoc omnes primi adquirentis agnati succedant, in illo vero, qui nominatim pacto vocantur, scilicet non exclusis eorum descendenti-
bus, habilibus feudi successibus, quemadmodum intelligo RICCIARDVM DE ANTIQVIS loc. cit. ita eius modi pactum, quia viuo feudi possessore non tribuit ius reale agnato, minus recte cum INVESTITVRA comparatur SIMVLTANEA, siue speciem d. I. F. 1. §. 2. I. F. 14. §. 2. II. F. 12. 18. 90. siue clientelam *iure antiquae* concessam respicias. conf. HORN c. III. §. 10. STRVV C. III. aph. 3. n. 1. 2. ROSENTHAL C. II. conclus. 15.

§. V.

Neque illi, de
quo Pronasalus
Vniuersi-
tatis nomine
inuestitur.

Multo minus in censum INVESTITVRAE venit SIMVLTANEAEE species, quam laudatus RICCIARDVS DE ANTIQVIS adducit §. LXI. SENCKENBERGIVM iur. feud. prim. lin. P. II. c. 10. §. 247. vt videtur, secutus, quando

quando nimirum nomine vniuersitatis prouasallus accipit inuestituram. Nam in tali visione non pluribus, sed vni, puta personae mysticae, quam omnis refert vniuersitas, l. 22. de fideiuss. & mandator. l. 7. §. 2. quod cuiusq. vniuers. nom. l. 76. d. iudic. ceditur feudum. Etsi verbum SIMVLTANAEAE INVESTITVRAE generali capias sensu: attamen vsu venit, vt eo tantum inuestitura l. pluribus personis, ll. de eadem re collata significaretur. Vasallus, qui vices gerit vniuersitatis, non plures vasallos & personas, sed corpus, quod, quamuis plurimis constet membris & indiuiduis, nihilominus auctoritate iuris pro vna habetur persona, repraesentat. Quapropter inuestitura cum illo perfecta vere non audit SIMVLTANEA, sed SINGVLARIS, nisi cum eo alterius vniuersitatis prouasallus, vel alia persona, de eadem re clientelari inuestiatur.

§. VI.

Verfa vice si plures quidem personae, non tamen de iisdem, sed diuersis inuestiantur rebus, merito exulat SIMVLTANAEAE nomen INVESTITVRAE. Et vera est obseruatio SCHMIDII d. diu. simult. inuest. spec. §. V. plures esse inuestituras SINGVLARES, non SIMVLTANEAAS, si per diuisionem ex vno feudo plura fiant, & de quouis alius atque alius inuestiatur. Etsi enim a quibusdam talis inuestitura dici solet SIMVLTANEA: HORN d.C. XII. §. 25. B. G. STRVV I. F. C. XIV. §. 2. FLEISCHER Inst. Iur. Feud. C. XIV. §. 2. attamen quilibet de inuestitis rem, quae ad se, non, quae ad alterum pertinet, consequitur. Equidem distinctione videtur opus esse,

Porro verbum
simultaneae
inuestiturae
non inuenit lo-
cum, quando
plures quidem
personae, sed
de diuersis in-
uestiuntur re-
bus.

an diuifio clientelae in partes fenfuales, an intellectuales fiat. Sed iure dubitat TITIVS *Teutfch. Lebn-R. c. XI. §. 3.* etiam in vltima infpectione SIMVL TANEAE nomine INVESTITVRAE vti, quandoquidem nullus inueftitorum iure fuccedendi in portionem alterius gaudet. *I. F. 1. §. 2. I. F. 14. in fm. II. F. 12. 18.* Nam res cuique in clientelam data faltem in intellectu a re alterius feperatur, adeoque pars cuiusuis peculiare conftituit feudum, quod vnum, non plures habet vafallos. Quamuis tum generica SIMVL TANEAE appellatio INVESTITVRAE facilius tolerari poffe videatur, quum, diuifione beneficii in partes non facta fenfuales, faltem plures inueftiti ad eandem rem phyficam, etfi non moralem, concurrant, nec minus in *d. I. F. 14. §. 2. II. F. 12. 18.* SIMVL INVESTITI dicantur.

§. VII.

*Eique appella-
tioni fecun-
dum fori
vfum non nu-
merus Domi-
norum, fed
vafallorum
dat locum.*

Quum actum inueftiturae duo correlata Dominus & cliens abfoluant, non fine caufa cenfeas, eiusdem rei inueftituram, a pluribus Dominis immediatis datam, vocari SIMVL TANEAM. SENCKENBERG *d. l. RICCIARDVS DE ANTIQVIS d. l. §. LXIV.* Ea quoque *mit gefamter Hand* concesa dicitur in chartis antiquis. A LVDEWIG *reliq. manufcr. T. IX. n. 44. p. 565.* Sicuti vero in legali verborum fignificatione addifcenda vfus fori praecipue eft attendendus: ita fecundum eum non Dominorum, fed vafallorum numerus locum dedit diuifioni inueftiturae in SINGVLAREM & SIMVL TANEAM. SCHILTER. *d. fimult. inueft. C. I. §. 4.*

§. VIII.

§. VIII.

Eodem fori vsu *speciale* SIMVLTANEAEE INVESTITVRAE verbum magis, quam *generale*, probatur. Nam quia expectantia inuestitura euentuali confirmata nomine speciali & eleganti gaudet, quae ab ea, quam in specie vocamus SIMVLTANEAAM, longissime recedit, tum res separatae a curatioribus ICTis separatis exprimi solent verbis, frequentius, & potissimum ab iis, qui propriam cuique rei appellationem tribuere norunt, SIMVLTANEAEE verbum INVESTITVRAE vsurpatur de inuestitura, qua pluribus consortibus eiusdem rei clientelaris dominium utile ceditur pure, quae porro CONIUNCTAE, vel COMMVNIS MANVS, germanice *Gesamte Hand, Gesamtnüis, Mitbelehnshafft, Mitbelehnung, saemtlliche Belehnung, Gemein Lehn, Samt Lehn* vocatur. Quae appellationes omnes promiscue adhibentur, nec vni alteriue locum facit temporis momentum. Etsi enim plures eodem inuestiantur actu, si tamen in communiione iuris non versentur beneficiarii, sed quilibet diuersae rei inuestituram impetret, exulat SIMVLTANEAEE nomen INVESTITVRAE, vt & COMMVNIS, vel CONIUNCTAE MANVS, sicut ex aduerso inuestitura vocatur SIMVLTANEA, nec non COMMVNIS, CONIUNCTAE MANVS, qua beneficium pluribus quidem personis ceditur pure, sed temporibus diuersis. Interim CONIUNCTAE vel COMMVNIS MANVS appellatio inprimis spectat actum, quo feudum pluribus vna ceditur fidelia, quum origo istius appellationis vel inde descendat, quod simul inuestiti simultanea manu vexilla, aliaue

Quin fori vsus magis speciale verbum simultaneaee inuestiturae, quam generale probat.

Speciali respondent aliae Germanorum appellationes.

Quarum uni alteriue non locum facit, temporis momentum.

Qua cuius communis vel coniuncta manus inprimis denotet inuestituram, quae pluribus vna datur fidelia.

aliaue symbola in actu inuestiturae adhibita, comprehenderit, SCHILTER *d. l.* vel a ritu, qualem Elector & Principes Saxoniae, nec non Elector & Principes Brandenburgici ab Imperatore simul inuestiti coram throno obseruare solent, quo pallium vasalli, qui principem accipit inuestituram, reliqui, communis causa manus, attingunt. STRYK. *E. I. F. App. p. 421. seq. 432. seq. 439. seq.*

§. IX.

*Prima species
simultaneae
inuestiturae
sensu acceptae
speciali.*

INVESTITURAE SIMVLTANAEAE sensu acceptae speciali tres sunt species. Prima est, qua plures inuestiuntur in solidum de feudo, quo in communione vtuntur fruntur, &, vno deficiente, superstites gaudent dominio vtili, ita, vt nihil decrescat, etsi pacto de futura successione ipsis non prospectum. *I. F. S. C. IIX. C. XXXII. I. F. A. C. LXV. §. 1. 2. C. LXVIII. §. 3. VET. AVT. d. Benefic. §. LXXXIII.* Cuiusmodi inuestitura frustra quaeritur in libris Longobardicis, quum maxima hic inter ius Germanicum & Longobardicum appareat diuersitas, quam non obseruarunt HORN *d. C. XII. §. 25.* B. G. STRVV *I. F. C. XIV. §. 2.* FLEISCHER *I. F. C. XIV. §. 2.*

§. X.

*Quam probat
I. F. S. c.
XXXII.*

Nimirum inquit *I. F. S. d. C. XXXII.* Ein Herr mag vielen Brüdern ein Gut und Leben leihen, ob sie es mit gesamter Hand empfaben und gleiche Gewehr daran haben. Wolten sie sich aber hernach theilen mit dem Gute, sie moegen es wohl thun unter sich, ohne des Herrn Vorwissen, wie sie wollen. Wenn sie sich aber also theilen, so hat ihr keiner kein Recht mehr an dem

dem abgetheiltem Guthe, ob der andre ohne Erben stirbt, es sey denn, das einem ieden die Anwartung oder das Geding an des andern Theile anderweit geliehen sey. Concordat I. F. A. d. I. F. A. c. C. LXV. §. 1. 2. Ein Here mag vil Brüdern ein Lebnliben, das LXV. §. 1. fu es mit gesampter Hante entphoben und geliche gewer daran hant. Vnd wellent fu sich scheiden mit dem Gute und theyllent es under sich, das tünt fu wol one des Herren Urlop. Wenn fu aber das gut under sich getheyllent, so het Jr keinere nutzit an des andern gute. Vnd stirbt Jr einer on Lebn Erben, so ist sin teyll dem Herren ledig. Nec minus conspirat VET. Vet. Ant. d. AVT. de Benefic. d. §. LXXXIII. Phures possunt vno in- benefic. §. LXXXIII. beneficiari beneficio, ita, vt simul illud suscipiant & aequale ius in hoc habeant, quamdiu simul manserint. §. LXXXIV. Si autem voluerint ab inuicem separari, absque licentia Domini diuidant inter se secundum libitum totaliter concessum beneficium. Sed postea illorum nullus in parte alterius aliquod ius habebit, cum alter obierit, nisi susceperit a Domino expectationem in beneficio. Vnde adparet, quod, diuisione beneficii communis non facta, &, altero inuestitorum sine descendentibus decedente, huius portio non ad Dominum, sed ad socium vi communionis, quae adhuc integra, nec per diuisionem sublata est, pertineat. Hanc enim consecutionem citata capitula oppido secum ferunt.

§. XI.

Quam porro egregie confirmant exempla clerici I. F. A. c. III. cum fratre, & feminae cum masculo simul inuestitorum, §. 3. 4. dum clericus, fratre deficiente, & femina, masculo extincto, beneficium retinent. I. F. A. C. III. §. 3. 4. ibi:

B

Vnd

Vnd het ein Pfaffe einen Bruder oder me Brüder und entphöbet er ein Lehn mit den Brüdern mit einer Lehn Hand und het ouch mit In nutz und gewer, und sterbent su one Lebens Erben, In bliebet das Lehn mit rechte, in dem rechte, als hievor geschriben ist: und het ein Frow leben von eime Herren, die het die Recht, die der Pfaffe het, und empöhbet es ein Man, wer der ist, mit ir, und hant su geliche vver, so ist dasselbe als um den Pfaffen. Add. I. F. A. c. CIII. §. 3. Quamuis igitur ius ciuile regulam habeat, quod duo eiusdem rei domini in solidum esse non possint, l. 5. §. fin. commod. l. 19. §. 3. d.

unde adparet,
secundum ius
Germanicum
plures inuesti-
ri in solidum.

castr. pec. non tamen eam sequitur ius Germanicum, sed inuestitura pluribus data, vnicuiuis totius rei beneficiariae dominium tribuit vtile. Concurfu quidem simul inuestiti suo modo partes faciunt, arg. l. 3. pr. d. vsufr. accresc. verum tamen, vno eorum deficiente, reliqui in eius portionem non tam succedunt, quam eam vi suae retinent inuestiturae,

§. XII.

Quam ratio-
nem non mi-
nus sequitur
charta in
Matthaei not.
ad res Vlra-
iect.

Eandem rationem probat charta, quam ex ANT. MATTHAEI not. ad res Vltraiect. adducit A LVDEWIG d. simult. inuest. Diff. I. c. 2. §. 14. Sciant vniuersi, quod FLORENTINVS COMES HOLLANDIAE & ego THEODORICVS DOMINVS AB ALTENA allodium, quod iacet in Zuythollandia & Woudrichen & in Oerte, quod pertinet ad castrum meum de Altena, & homines infra terram meam ad castrum meum de Altena pertinentes, teneamus ego & consanguineus meus WILHELMVS DE HORNE COMMUNI manu a dicto Comite Hollandiae. Praeterea cetera bona, quae

quae tenui ab Hollandia, & homagium sibi feci liberum ab omnibus, praeter Romanum Imperium. Quandocumque vero Comes dicto castro indigebit, mittet ipse suos supra castrum de Altena & sedem ibi habebit. QVICVNQVE VERO NOSTRVM, SCILICET EGO ET CONSANGVINEVS MEVS ABSQVE HEREDE MORITVR, ALIVS PRAEFATA BONA, QVAE COMMVNI MANV TENEMVS IN FEVDO A COMITE, SOLVS RETINEBIT.

§. XIII.

Eam quoque sequitur Regiae voluntatis declaratio, ad Statuum Prouincialium in Saxonia Electorali supplicationem, anno MDCC. emissa, quam recenset MENCKEN d. iur. offer. simult. inuestiend. p. 29. verb. *Alldievveil, vvenn mehr als einer in gesamter Lehn an einem Guthe stehen, vermoege der Lehn Rechte einen iedvveden derselben die Mitbelehnsschafft in solidum zukommt, und solche nur sodann, vvenn eine vvürckliche Theilung geschiehet, gebrochen vvird, dahingegen, wenn die übrigen mit Gelde oder sonst abgefunden werden, dieselben in effectu zur succession nicht gelangen, sondern derienige, so das ganze Gut auf diese Mase an sich bringet, solches allerdings krafft seiner in solidum habenden Mitbelehnsschafft erhaelt, und folgliche, dafs es entvveder ganz oder zum theil ein neues Lehn sey, nicht zu behaupten, vielmehr, vvenn man dieses einraeumen vvollte, so oft ein Vater verstorbt, und mehr Soehne hinter sich laesset, nur einer aber die Güther behaelt, feuda noua vvürdten constituiret, und mithin dem Lehn-Herrn neue Mitbelehnnten obrudiret*

Et declaratio Regiae voluntatis, ad Statuum Prouincialium supplicationem, de anno 1700.

vwerden, so koennen auch seine Koenigliche Mayst. nicht gestattet, dass in dem Fall, da, wie gemeldet, ein Mitbelehnter nebst andern im Lehn zugleich succediret, und denen uebrigen ihre Antheile abgehandelt, weder das ganze Lehn, noch auch die erhandelten Stuecken pro nouo feudo zu achten, und desuuegen neue Mitbelehnten anzugeben freygelassen sey.

§. XIV.

*Vt & Ordin.
Prou. Anhalt.
Tit. XVI.*

Nec minus eam seruat ORDINATIO PROVIN-
CIALIS ANHALTINA Tit. XVI. Wenn sichs auch
zutruge, dass zwey drey oder mehr Bruder mit einem Mann-
Lehn belieben, dieselbe auch insgesamt ungetheilt solche besaef-
sen und gebrauchten, und aber einer von solchen Bruedern ohne
Maennliche Leibes Erben verstuerbe, sollen die ueberleben-
den ueber des verstorbenen Anpart de nouo die
Lehn zu suchen nicht gehalten seyn, sondern nur Vns,
als deren Lehn-Herrn, den Todes-Fall zu notificiren haben.
vid. LVNIG Corp. iur. feud. German. Tom. II. p. 1824.

§. XV.

*Pluribus ergo
de re communi
inuestitis, alter
non indiget
communi ma-
nu, in parte ad
alterum spe-
ctante.*

Non igitur opus est, vt curia clientelaris, plures
vasallos de re inuestiens communi, porro quemuis eo-
rum, successionis conseruandae caussa, de alterius parte
simul inuestiat. Dum enim quilibet totius feudi impe-
trat inuestituram, etiam de parte, quam alius per con-
cursum facit, inuestitur, quam ob caussam alia & noua
non indiget inuestitura. Secus est, si plures de re com-
muni non in solidum, sed quoad partem inuestiantur.
Nam tum a Domino separatio partium, quamuis non in
sensu, verum tamen in intellectu, *vid. l. 5. d. stipulat. seru.*
est

*Nisi cuiusuis
inuestitura
quoad partem
facta,*

est facta, nec vniversi feudi, sed partis separatae, ad quemlibet spectantis, dominium ipsi est cessum, qua de re socius partem alterius focii vacantem, vi suae vindicare nequit inuestiturae, nisi de illa simul sit inuestitus. Et sic obserues formulam : *Dafs N. N. und N. N. die Lehn an ibrem gemeinschaftlichen Guthe zu N. N. und zwar jedem zu seinem Antheil, an des andern bingegen die gesamte Hand bekennet worden*, quam hodie in his terris animaduerto.

§. XVI.

Istiusmodi expressa partium separatione non est opus, secundum ius Longobardicum, cuius longe alia & diuersa est ratio. Nam etsi plures, omiſſa partium expressione, de re indiuisim possessa inuestiantur: non tamen aliter, quam, quoad partes in intellectu consistentes, cuilibet concessa creditur inuestitura. Hinc si de duobus, de nouo simul inuestitis beneficio, vnus sine liberis decedat, non alter totum retinet feudum, sed portio defuncti ad Dominum redit, nisi simul inuestitus superstes per pactum vocetur ad successionem, *I. F. 1. §. fin. autem. I. F. 8. vers. in alio vero. verb. siue vna inuestitura. I. F. 14. §. 2.* non obstante *I. F. 15.* quum in hoc capitulo alia plane occurrat visio, qua feminae, quae sola beneficium habuit, mortuae maritus succedere cupit, eiusque intentio improbatur, *nisi specialiter inuestitus fuerit.* Per exceptionem, vel potius oppositionem, non insinuatur species, qua maritus cum vxore de clientela inuestitus est communi, sed, qua is aut in euentum vacationis, aut etiam post mortem vxoris singularem

Secundum ius Longobardicum inuestitura plurium de re communi nunquam fit in solidum, sed semper pro parte.

impetrauit inuestituram. BITSCH *ad consuet. feud.*
p. 141.

§. XVII.

Per diuisionem non tollitur qualitas feudi antiqui.

Deinde ius Longobardicum a Germanico in eo abit, quod, quum secundum hoc, sine distinctione inter feudum nouum & antiquum, simultanea inuestitura per diuisionem scindatur, & alteri inuestito ius succedendi in alterius partem non competat, sine noua communis manus impetratione, e contra Longobardorum more agnati a successione in beneficium paternum, ob peractam diuisionem non excludantur. Sicut enim successionis Longobardicae ea est ratio, vt omnes masculi, qui a primo feudi adquisitore per lineam descendunt masculinam, etsi vltimo possessori a latere iuncti, in clientelam ab hoc relictam, & a communi patre adquisitam succedant, *I. F. 1. §. 2. 3. 4. I. F. 14. §. 1. II. F. 11. II. F. 50.* ita successores, qui diuidunt, non ea propter a familia adquirentis separantur, sed sanguinem ab eo perpetuo deriuant, neque is, ad quem beneficium in diuisione delatum est, id ex alia, quam successionis causa habet. Inde feudum antiquum, etiam post diuisionem, naturam retinet suam, *II. F. 32.* ita, vt agnatus successione donatus, & per diuisionem remotus, eiusque descendentes, praesenti possessori, sine liberis defuncto, denuo succedant *I. F. 8. §. 1.* ibi: *alienauerit partem suam feudi &c. nihilominus reuertitur ad me. I. F. 12. II. F. 26. §. Titius filios masculos. d. II. F. 50.* ibi: *ex diuisione deueniat. II. F. 52. §. 2.* ibi: *paterna beneficia inter*

inter se diuidentes. II. F. 99. ibi: quod ex diuisione habuerat cet.

§. XVIII.

Equidem hanc deseruit sententiam SENCKENBERG *Meditat. d. vniuers. iur. & histor. Fasc. III. Meditat. 3. §. 9. seq.* Sed principium a nemine concedendum petit, quod is, qui partem feudi antiqui pro diuiso tenet, habeatur, ac si feudum adquisierit nouum. Quod sicuti non probat, ita citatis testibus, nec minus textu, *d. I. F. 12.* quem pro se adducit, abunde confutatur. Quum enim in *d. I. F. 12.* fratri superstiti, qui in portionem defuncti, tanquam clientelam paternam succedere ambit, ius iurandum permittatur, *patrem eius iure inuestitum esse*, neque exceptio Domini attendatur, *beneficium in partes diuisum, & fratrem defunctum parte sua gauisum esse*, quae id circo pro nouo habenda sit feudo, oppido adseritur, quod per diuisionem qualitas beneficii non tollatur antiqui.

Respondetur Senckenbergio dissentienti.

§. XIX.

Quam philosophiam merito probauit Potentissimus Saxo in rescripto Regio, *d. d. 17. Apr. 1700.* quod declarationem, supra §. XIII. adductam secutum est, quo disponit, clientelam neque totam, nec quoad partem pro noua esse habendam, si plures simul inuestiti in eam succedant, sed vni eorum illam addicant, adeoque illi, qui istam sibi adquisiuit soli, permittendum non esse, vt alios, antiqua inuestitura non comprehensos, ad simultaneam offerat inuestituram. En ipsa verba: *Denn wenn unterschiedene Mitbelebnte zugleich zur succession gelangen, und einer*

Cui & contradicit Rescriptum Regium de anno 1700.

einer denen übrigen ihre Antheile abhandelte, vveder das ganze Lehn, noch die erhandelten Stücke pro feudo nouo zu achten, und desuwegen neue Mitbelebnte anzugeben, nicht zuzulassen. vid. MENCKEN d. iur. offer. simult. inuest. §. XIV.

§. XX.

Secundum ius Germanicum ne quidem de parte beneficii communis alter inuistiturum disponere potest, altero inuito.

Ex his, quae de iuris Longobardici a Germanico differentia adhuc differuimus, eo magis de alia constat, quod nimirum secundum ius Germanicum alter inuestitorum, altero inuito, commune beneficium ne quidem pro parte alienare, oppignorare, refutare, in subfeudum concedere, vel alia dispositione socio nociua minuire & onerare possit. I. F. S. C. XXXII. Dieweil aber die, so ihr Gut zusammen haben, die also von dem Herrn saemtlich belehnet seynd, ihr keiner mag dem andern seinen Theil daran übergeben, noch auflassen, das die andern leiden doerften. I. F. A. C. LXV. §. 4. Alle die mit einander belehnt sint, und das Leben gemeyne hant, so mag ihr keiner one den andern nüt getun mit dem Gute, noch mit dem Leben. Was aber Jr einer davon libet oder lott, das mag derselbe nit gebrechen, ob es die andern stette wellent han, so muß es stette sin. VET. AVT. d. benefic. §. LXXXIV. in fin. Postquam aliqui fuerunt de beneficio praedicto modo inbeneficiati, nullus istorum singulariter alicui potest inde aliquid concedere, quamdiu illud non diuiserunt inter se. conf. SCHILTER ad I. F. A. C. XVI. §. 2. Quilibet enim de beneficio in solidum est inuestitus, nec ante peractam diuisionem certa eius pars alicui propria est. Quam rationem ipsum ius feudale Saxonicum d. C. XXXII. exprimit verbis: Denn was einer nicht theilweise empfan-

empfangen hat, des mag er auch keinen theil weder vorgeben, vorleihen, noch auflassen. Ea vero quum iure Longobardico locum non inueniat, sed cuilibet dominium vtile pro parte, saltem in intellectu concedi solet, d. I. F. 1. §. 2. vers. Sin autem. etiam, vt quiuis consensu Domini, quantumuis alter diffentiat, partem alienare possit suam, consequitur. arg. II. F. 58. §. 2. l. 3. C. d. commun. rer. alienat. l. 16. C. d. iur. dor. l. 12. C. d. donat.

Quod secus iure Longobardico.

§. XXI.

Porro a iure Longobardico differt Germanicum, quod plures vasalli, commune feudum tenentes, opus habeant prouasallo, siue curatore feudi, *Lehn-Traeger*, SCHILTER d. l. §. 3. quamuis haec differentia ex alio manet fonte, quam ex quo priores deriuauimus. Etenim veteres Germani crediderunt, interesse Domini directi, quo vna sistatur persona, quae sola praestet seruitia, sola idcirco sacramento fidelitatis obstringenda. Qui non aequae, ac Longobardi, vti nouerant principiis iuris Romani, secundum quae seruitia a quouis possessore in solidum exiguntur, & tantum vnus praestatio consortes liberat, l. 2. §. 1. 2. l. 85. §. 2. d. V. O. Istam Germanorum simplicitatem insinuant I. F. S. C. VIII. *Der Herr mag auch wohl seinen Mannen mit Recht gebieten, die ein Gut von ihm haben, das sie sich binnen sechs Wochen ihres Frithums am Lehn entscheiden, auf das er wisse, zu wem er sich seines Diensts vom Lehn versehen solle.* C. XXIX. *Der Herr ist auch nicht pflichtig, mehr Kindere seines verstorbenen Lehnmannes, denn nur einem ihres Vaters Lehn zu leihen.* I. F. A.

Vfus prouasallorum iure fundatus Germanico, Longobardis est ignotus.

C

C. XVI.

C. XVI. §. 3. Eyn jeglich Herre mag sine Manne gebieten, das er sine sache, wovon oder von weme er sinen Dienst warte soelle. VET. AVT. d. benefic. §. LXXVI. Cum homo mortuus fuerit infra terminum filiorum, in arbitrio sit eorum, quis inbeneficietur a Domino. Vnanimiter vero si vnun non transmiserunt ad Dominum, Dominus inbeneficiet, quem illorum velit. §. LXXIX. Dominus non respondebit, nisi vni filio pro patris beneficio. §. LXXXV. Si plures vno inbeneficiati beneficio, & non separati fuerint, Domino mortuo, non nisi vnus illud sequatur in alium Dominum. add. CONRADI de prouasallis ex iur. feud. Germ. §. XXII. E contra ex II. F. 26. §. 4. vers. omnes filii. claret, moribus Longobardorum, quibus prouasalli ignoti sunt, omnes & singulos, qui beneficium habent commune, esse inuestitos, ad iuramentum fidelitatis praestandum obligatos, neque Dominum habuisse, cur metueret praeiudicium, ob dictam iuris regulam ciuilis, in II. F. 77. satis dilucide adprobatam.

§. XXII.

Textus II. F.
26. §. 4. vers.
omnes filii.
cum II. F. 77.
conciliatur.

Et hoc modo contorta interpretatione BITSCHII comment. ad consu. feud. p. 406. vers. sexto norandum. cedere possumus, ista vero capitula, II. F. 26. §. 4. vers. omnes filii. & II. F. 77. optime constant, omnisque inter ea exulat conflictus, quem vulgo interpretes fingunt, non cogitantes, quod verbum, *fidelitas*, variam in iure Longobardico recipiat significationem, quae modo praestationem iuramenti fidelitatis II. F. 3. §. 1. II. F. 4. 7. §. 1. II. F. 20. 26. §. 5. II. F. 40. modo fidem, quae formam feudi

feudi absoluit, II. F. 5. 6. 7. pr. 76. 100. modo seruitia, non ad essentiam, sed tantum naturam contractus clientelaris, pertinentia d. II. F. 7. pr. II. F. 55. §. 1. II. F. 99. d. II. F. 100. insinuat. Si quis dictum capitulum II. F. 77. lustret integrum, videbit, quod vniuersa tractatio aequalitatem a Domino, in exigendis a fidei seruitiis, seruandam, minime vero iuramentum fidelitatis in actu inuestiturae praestandum concernat. Vocantur ergo in d. II. F. 77. vna fidelitas & vnum seruitium, operae militares, quas Dominus, arg. d. l. 2. §. 1. 2. l. 85. §. 2. d. V. O. in solidum, remota diuisionis exceptione, a quolibet exigit beneficii possessore. In d. II. F. 26. §. 4. vers. omnes filii. vero de iuramento, a singulis praestando vasallis, sermo est, atque asseritur, omnes filios eius, qui feudum adquisiuit, fidelitatem facere debere, maxime si *indiuisum habent*, id est, *etiamsi sit indiuisum*. Neque informatum vel inauditum est, vt particulae, maxime si, vel maxime si, pro, *etiamsi*, ponantur, vt taceam, latini sermonis elegantiam & accurationem frustra quaeri in libris Longobardicis. Non igitur opus est emendatione CUIACII, qui pro, *indiuisum*, substituit, *diuisum*, neque philosophiam SCHILTERI ad I. F. A. C. LIIX. §. 9. qui particulae, maxime, pro restrictiua habet, adprobo, quem admodum eam reprobaui laudatus CONRADI d. l. §. XXIII.

Lectio: si indiuisum, in II. F. 26. §. 4. probatur.

aduersus Cuiacium.

§. XXIII.

Sed nec a me impetrare possum, vt modo citato CONRADI adstipuler asserenti, a FRIDERICO Imperatore

A Friderico Imperatore non facta est decisio, vt tantum vnus co-

rum, qui feudum in communione tenent, fidelitatem faceret.

ratore decisionem hunc in modum esse factam, vt vnus tantum eorum, qui beneficium in communione tenent, fidelitatem faceret. Concedit quidem Imperator, vt aliud feudum, quam Ducatus, Marchia & Comitatus, si confortes velint, diuidatur, ita, vt omnes, qui partem habent beneficii, fidelitatem faciant. Quis vero iure afferat, Imperatorem eo ipso statuere, vel saltem supponere, tum, si clientela non sit diuidenda, non omnes confortes fidelitatem facere teneri, sed vnum nomine omnium. Argumentatio haec probabilis non est. Eodem, ni maiori iure conicio, mentem fuisse Imperatoris, quod omnes, qui per diuisionem partem capiunt beneficii, fidelitatem facere debeant, quamuis eam iam ante fecerint, quum de clientela inuestirentur indiuisa. Sic tandem consecutionis filum, *quia fidelis pro vno feudo plures Dominos habere non compellitur, II. F. 55. ergo nec Dominus plures vasallos accipere debet*, non procedit. Nam pluralitate Dominorum clienti creatur molestia, non Domino pluralitate vasallorum, de quibus is pro lubitu vnum, ad seruitia in solidum praestanda obstrictum, eligere potest.

§. XXIV.

Tandem de specie simultaneae inuestiturae hactenus explicata notat ius Germanicum, quod alter inuestitorum alterum, in causa feudum concernente, testem producere nequeat. *I. F. S. C. VII. in fin.* *In einer Lehn-Sachen, damit ihr zween saemtlich belehnt seynd, moegen sie nicht zeugen seyn, alldieweil sie aus dem Lehen sonderlich nicht getheilt sind. I. F. A. C. XVI. §. I.* *In einer Sachen von eime*

In causa, feudum commune concernente, socius a socio testis produci nequit, tam iure Longobardico, quam Germanico.

eime lehn mogent zwen Man wol nüt getzig sin, diewyl su das leben nüt geteyller bant. Quum enim omnes & singuli in solidum possideant, non potest non fieri, vt controuersia, quae vni respectu clientelae obmora, etiam alterum tangat, prohibens, ne hic in propria testimonium ferat caussa. Quae obseruatio, vti non minus in reliquis investiturae simultaneae speciebus suam praestat vtilitatem: ita etiam, quando more Longobardorum plures inuestiuntur de re, qua in communiōe vtuntur fruuntur, omnes quidem in caussa, quae beneficium tangit commune, partes tuentur litigatoris, neutiquam vero vnus litigare, & alter testem agere potest. Nam etsi quilibet eorum tantum quoad partem intelligatur inuestitus, *I. F. l. vers. sin autem. II. F. 12. 13.* quousque tamen partes reapse non sunt separatae, sed inuestiti in communiōe rei versantur, vtunque inter eos nulla iuris in solidum quaesiti sit communiō, omnes caussae & controuersiae, rem respicientes communem, etiam ipsis sunt communes, quapropter in lite cum altero instituta alter valide testimonium non deponit. Quod etsi non probent iuris Longobardici placita, quia hanc silent quaestionem, probat tamen ius ciuile, *vid. l. 10. ff. d. test. l. 10. C. eod. add. l. 10. §. fin. d. appell.* in controuersis beneficia concernentibus in subsidium adhibendum. *II. F. l. pr.*

§. XXV.

INVESTITURAE SIMVLTANAE, quae proprie dicitur, species secunda est, qua plures de eadem re inuestiuntur in solidum, & possessione donantur, vnus

Secunda species simultaneae investiturae sensu acceptae specialis.

C 3

vero

Quae occur-
vit I. F. 3.

vero ea vititur fruitur, quo extincto alter superstes possessionem cum facultate fructus percipiendi continuat solus. Posteriori praecipue nomen SIMVL INVESTITI vindicari solet, dum prior VASALLVS vocatur PRINCIPALIS. Et de hac specie accipio textum. I. F. 3. Qui quum pluribus interpretum concertationibus sit subiectus, multum vero referat, veram eius nosse sententiam, in hanc curatius inquisuisse, eumque in finem verba, quae huc spectant, inferuisse iuuabit. Scilicet ait scriptionis auctor: *Si vero archiepiscopus, episcopus, vel abbas, vel abbatissa inuestituram eius feudi, quod alius detinebat, eo tenore alicui dederit, vt post decessum eius, qui possidet, habeat; Et ante decesserit archiepiscopus, quam ille, qui feudum possidebat: successores eorum non coguntur eam inuestituram facere, vel confirmare, etiamsi pares eius curtis adsint testes, vel breue testatum inde sit: nisi ille, qui inuestituram acceperit, nomine eius feudi in possessionem missus sit, eo consentiente, qui detinet. Sed si ille, qui feudum possidet, prius decesserit, quam ille, qui inuestituram fecit, iure cogitur eam ratam habere.* Quamuis sententia, quae hic traditur, admodum clara sit: glossa tamen vetustique interpretes ALVAROTTVS, PETRVS RAVENNAS, ANDREAS DE ISERNIA, PRAEPOSITVS, MARTINVS LAVDENSIS, MATTHAEVS DE AFFLICTIS, ceteri, more consueto tantas disputationibus suis excitarunt tricas, quantas lubentius hodie obliuioni mandare, quam in memoriam reuocare solemus.

§. XXVI.

§. XXVI.

Nihilominus doctrina propugnantium, verba citati capituli, nisi ille, qui inuestituram acceperit, nomine eius feudi in possessionem missus sit, eo consentiente, qui detinet, exaudienda esse de inspectione, qua possessor omni iure & possessione in gratiam noui cedit vassalli, arrisit HARTMANN. PISTOR. *L. II. Qu. 27. n. 41. seqq.* Quem sequitur BITSCHIVS *d. F. p. 57. seq.* &, quod mireris, HORN *C. XII. §. 15.* Ita vero huius patroni sententiae philosophari videntur. Praelatus de bonis ecclesiae disponere nequit, vt ea dispositio, postquam alius ipsi succedit in regimine, valere incipiat. Nam quo tempore quis ecclesiae non praest, eo res ad eam pertinentes, non eius, sed successoris administrationi subsunt. Dum igitur Praelatus de clientela non vacante alium inuestit, hac lege, vt illam post decessum eius, qui possidet, habeat, non videtur inuestiisse, quoad illa ad possessorem spectat, sed haec inuestitura demum post fata possidentis facta intelligitur. *arg. l. 38. §. 1. de acquir. vel amitt. possess.* Quo tempore si non sit in viuis inuestiens, non ipsius, sed successoris est, vt beneficium, ad ecclesiam reuersum, iterum in feudum concedat. Inuestitura vero antea peracta ad eum peruenit statum, a quo incipere non poterat, omni vi & efficacia illius concidente. *d. I. F. 3.* Iam etsi possessor consentiat, vt alius de sua clientela inuestiatur, si tamen ius suum non penitus dimittat, neque hoc in nouum transferri patiat clientem, noua inuestitura non nisi conditionalis est, tum demum, si viuo inuestiente bene-

Sententia eorum, qui propugnant, in d. I. F. 3. agi de casu, quo possessor omni iure et possessione in gratiam noui vassalli cedit,

beneficium aperitur, valida, partim, quod inuestitura de alterius feudo pure facta est inutilis, *II. F. 35.* partim, quod eodem tempore duorum quidem in solidum dominium, vel possessio esse non possit. *l. 5. §. ult. commod. l. 19. §. 3. d. castr. pec. l. 3. §. 5. d. acquir. poss.* E contrario is, qui rem suam ad alium peruenire patitur, hoc ipso iuri suo renuntiat, idque in eum, in cuius fauorem consentit, confert. *I. F. 5. §. 1. l. 4. §. 1. quib. mod. pign. vel hyp. solv. l. 38. §. 1. d. donat. int. vir. et vxor.* Quumque inuestitura, qua Praelatus beneficium, a possessore in gratiam noui refutatum vasalli, huic pure concedit, negotium viuo inuestiente perfectum & absolutum inuoluat, nullo colore negotiis futuris, & ad nouum pertinentibus Praelatum, adscribendum, de huiusmodi specie verba ista, *I. F. 3. nisi ille &c.* sunt exaudienda.

§. XXVII.

Refutatur.

Haec argumentatio etsi non sit insubtilis, est tamen contorta, & tam verbis, quam menti loquentis satis superque declaratae contraria. Quam ob causam, quum HARTMANNVM PISTOREM refutauerit FACHINEVS *Controv. Lib. VII. c. 30.* id non iniuria factum esse, dissimulare nequiuit filius, SIMON VLRICVS PISTORIS in *addit. ad d. qu. 27. L. II. lit. b.* Verborum series, si ea, quae praecedunt & sequuntur, conferas, abvnde docet, totum capitulum *I. F. 3.* de inuestitura agere, quam Praelatus in feudo, quod alius tenet, hac concedit lege, vt inuestitus illud post decessum possessoris habeat. Cuius rei causa duae separantur visiones, alia, qua

qua vafallus, de cuius beneficio alter inueftitus est, decessit ante Praelatum inueftientem, alia, qua non decessit. Illic Praelatus inueftituram a se datam ratam habere, & nouum vafallum post obitum prioris recipere cogitur. Quod probant postrema contextus verba, *Sed si ille &c.* maximo argumento, quod omnia, quae praecedunt, ad alteram spectent visionem. De qua negatur primo, quod successor inueftituram ab antecessore datam confirmare debeat, deinde vero asseritur contrarium, si is, qui denuo inueftitur, in possessionem missus sit, consentiente vafallo, qui rem tenet clientelarem. Ad posteriorem quod attinet animaduersionem, non potest non vi rectae interpretationis talis se offerre exceptio, qualis praemissae respondet regulae, quod nimirum Praelatus sui antecessoris inueftituram de beneficio non vacante confirmare debeat. Ex aduerso non permittit connexio, vt verba, *nisi ille &c.* de specie accipiamus, qua possessor iuri & possessioni suae in fauorem inueftiti renunciat, quum nova, quae idcirco fit inueftitura, beneficium tangat, quod alius definit possidere, neque adeo talis sit, qualis ea fit lege, vt inueftitus clientelam post decessum eius, qui possidet, habeat, de qua tamen totum interpretari decet capitulum.

§. XXIIIX.

Frustra idcirco turbae in oeconomia iuris metuuntur. Nam inueftitura consensu vafalli eum in finem facta, vt coinueftitus feudum post mortem vafalli consentientis habeat, non minus, quam inueftitura illi data, in

D

cuius

*Inueftitura,
quam Praelatus
consensu
vafalli con-
fert alteri, ad
hoc, vt post
mortem posses-
soris feudum*

*habeat, est ne-
gotium purum
& vino inue-
stiente perfe-
ctum.*

cuius gratiam possessor omni iure cedit, negotium pu-
rum & viuo inuestiente perfectum est, quod futuris, ad
nouum pertinentibus Praelatum negotiis, non iure ac-
censetur. Nemo vrgeat, quod saltem translatio possessi-
onis, donec possessor diem obiit supremum, sit suspensa,
quodque tum, quando Praelatus inuestiens antea decessit,
inuestitura olim ab eo peracta possessionem, veluti rem
a praesente accipiendam Praelato, dare nequeat, neque
hic, quia non inuestiuit, ad dationem obstringatur.
Non enim iusta adparet ratio, cur non possessio, veluti
effectus dominii, ad tempus cessare, & postea vi causae
suae se exferere valeat, ita, vt noua non sit opus causa.
Qua ratione etsi quis tempore inuestiturae possessionem
non accepit a Praelato inuestiente, dum tamen causam
eius accepit, nimirum dominium, quod sua natura ius
rem possidendi, eamque a detentore vindicandi tribuit,
hic effectus postea, vi negotii antea perfecti, exercetur, licet
exercitium vi conuentionis ad tempus differendum fuerit.
Inde nouus Praelatus, quo existente demum possessio auo-
cari potest, non asserit iure, quod inuestitura olim facta
ius acquirendae possessionis dare nequeat. Etsi dies con-
sequendae possessionis iam demum venerit: attamen
antea cessit, quum mox per inuestituram ius sub lege
fidei feudalis in dominium succedendi vtile, & ex hac
causa rem possidendi clientelarem, nactus sit inuestitus,
qui, dum die veniente illud exercet, non ex negotio per-
ficiendo, quod nouam desideret causam, sed ex perfecto
agit.

§. XXIX.

§. XXIX.

Neque vero a Longobardis eam ob causam missionem in possessionem desideratam esse arbitror, quod alias inuestitura ad negotia pertineret imperfecta, nec praesens dominium utile operaretur, sed, ut certius constaret de consensu possessoris in cesum coinuestito purum & praesens condominium utile, quum alias, si solus possessoris consensus ad simultaneam accederet inuestituram, non secuta missione in possessionem, ille aliam & consentienti minus molestam reciperet interpretationem, quod nimirum vasallus principalis non, nisi conditionatam, approbauerit coinuestitionem, qualis ea Praelati de clientela non vacante regulariter esse solet, simul inuestito demum post decesum possessoris dominium tribuens utile, & Praelato inuestiente ante aperturam feudi defuncto, euanescens. Quam ob causam in iis Germaniae prouinciis, in quibus simultanea obtinet inuestitura, quae, ad exemplum communis Saxonum manus, ob consensum possessoris & vasalli principalis, sua natura purum & praesens condominium utile tribuit coinuestito, ne quidem ad communem manum, a Praelato concessam, missionem in possessionem clientelae requiro, sed talismodi coinuestito, vi condomini pure adquisiti, ius succedendi addico, quamuis casus, quo in feudum succedendum, demum post mortem Praelati inuestientis existat.

Cuiusmodi inuestiti missio in possessionem, non eam ob causam a Longobardis requiritur, quod alias inuestitura ad negotia pertineat imperfecta.

Sicuti communis manus hodie a Praelato concessa, eo uino negotiorum purum & perfectum est, quamuis simul inuestiturus non possideat.

§. XXX.

Quicquid vero id est, certe de inuestitura non solum perfecta, sed & consummata agitur, sicubi Praelatus simul

Multo magis superinfendatio perfecta & absoluta est, quando coin-

D 2

inuestito,

*uestitus conse-
quitur posses-
sionem, de cui-
usmodi inue-
stitura agi-
tur. l. F. 3.*

inuestito, consensu vassalli principalis adhuc possidentis, possessionem dedit beneficii, quae illi non demum post vacationem rei clientelaris quaerenda, sed continuanda est. Qua de re Praelati successor istam eodem iure ratam habere & confirmare cogitur, quo ad alias inuestituras nouas, ab antecessore fidelibus pure donatas, renouandas obstringitur.

Admodum leue est dubium, quod is, qui rem suam ad alium peruenire finit, eo ipso iuri suo renuntiare, idque in eum, in cuius consentit favorem, conferre voluisse censeatur, *d. l. F. 5. §. 1. l. 4. §. 1. quib. mod. pign. vel hyp. solv. l. 38. §. 1. d. donat. int. vir. §. xx.* quodque adeo vassallus consentiens, vt alius de suo inuestiatur feudo, omni iure, quod habet, cedat, ita, vt noui clientis inuestitura non sit SIMVLTANEA, sed SINGVLARIS, de qua subinde capitulum *l. F. 3. vers. nisi ille &c.* sit exaudiendum. Non enim fidelis, in

*Vassallus pos-
sessor, in eam
consentiens,
non iuri in
feudum com-
petenti peni-
tus renuntiat.*

simultaneam consentiens inuestituram, iuri in feudum sibi competenti omnino renuntiat, sed tantum in eius communionem recipit coinuestitum, quum non simpliciter nouam adprobet inuestituram, sed hac restrictione, vt simul inuestitus clientelam post mortem ipsius consequatur. *fac. d. l. 4. §. 1. quib. mod. pign. vel hyp. solv.*

§. XXXI.

*Inuestitura de
alterius bene-
ficio pure facta
non est in-
utilis, quando
possessor con-
sentit.*

Non maioris ponderis dubium est, quod inuestitura de alterius beneficio pure facta sit inutilis. *II. F. 35.* Nam sicuti ex hoc ipso capitulo haud obscure patet, quod haec regula non habeat locum, nisi noua inuestitura sine vassalli possessoris voluntate sit facta: ita, etsi

et si hoc exinde non pateret, sufficit tamen patere ex *I. F. 3.* vt sic facilis sit huius cum *d. II. F. 35.* conciliatio. Nimirum capitulum *II. F. 35.* restringendum esse ad investituram puram de feudo alieno, sine voluntate possessoris peractam, ob *d. I. F. 3.* quo pura inuestitura de aliena permittitur clientela, vasallo consentiente. *Add. I. F. 22. §. si quis fecerit.* ibi: *sine illius consensu.* *I. F. 27. §. si quis inuestierit.* ibi: *nisi eo consentiente.*

§. XXXII.

Ponderosior videtur obiectio, quod eodem tempore duorum in solidum dominium vel possessio esse non possit. *d. l. 5. §. vlt. commod. l. 19. §. 3. d. castr. pec. l. 3. §. 5. d. adquir. poss.* Verum enim vero frustra petuntur iuris ciuilibus argumenta, ad placita iuris impugnanda beneficiarii, quum demum iure clientelari tacente locum inueniant. *II. F. 1. HORN I. F. C. I. §. 8. et 40.* Vt igitur ius Germanicum istam iuris negligit regulam ciuilibus, *vid. supr. §. X. seqq.* ita neminem offendere deberet, si quis, idem in praesenti specie de iure afferens Longobardico, dubium remouere laboraret. Sed hoc refugio non est utendum. Quo eo lubentius abstinemus, quum Longobardi, in diiudicanda beneficii communis, et a possessoribus indiuisim usurpati, inuestitura principia iuris ciuilibus sint secuti. Enimuero animaduertendum est, quod iure ciuili ipso duorum in solidum dominium et possessio esse possint, si non sit idem dominii et possessionis genus. Quod probant exempla *MARITI et VXORIS*, quorum

Non obstat, quod duorum in solidum dominium vel possessio eodem tempore esse non possit.

Quae regula etiam iure cessat ciuili, si

non sit idem
dominii &
possessio-
nis ge-
nus.

rum vterque dominus dotis est in solidum, et si ex causa alia, atque alia, *l. 30. C. d. iure dot.* SVORVM HEREDVM, qui cum patre, in cuius proxime existunt potestate, simul domini in solidum quodammodo reputantur, *l. 11. d. lib. et posth.* PLVRIVM, penes quos olim eiusdem rei dominium bonitarium et quiritarium esse potuit, VLPIANVS *Tit. XIX. §. 20.* ibique CVIACIVS, PROPRIETARII ET FRVCTVARIJ, quorum vterque possidet in solidum, *l. 12. d. adquir. possess.* denique CREDITORIS et DEBITORIS, penes quos eiusdem pignoris est possessio. *l. 1. §. 15. d. adquir. possess.* IACOB. GOTHOFRED. *ad. l. 141. §. vni duo. d. Reg. Iur.* Simili ratione vassallus, qui princeps loco, et qui simul inuestitus est, eandem rem, salva iuris ratione ciuilibus, vt domini possident vtilis in solidum, cum suo effectu et eodem tempore, sed diuerso possessionis- et domini iure, dum, vt SCHILTER *d. simult. inuest. C. I. §. 4.* ait, alterius possessio est plena, alterius minus plena. Quam disciplinam praxis confirmat Germanica, sicut solemne probat exemplum in INSTRVM. PAC. WESTPHAL. *Art. XI. §. 6.* obuium, vbi Electori Brandenburgico ius succedendi in Archiepiscopatum Magdeburgensem, simul ac vacauerit, cum AVGVSTI Administratoris consensu est concessum, ita, vt capitulum, ordines et subditi statim sacramento fidelitatis et subiectionis se obstringerent: cui deinde possessio per praesidium ciuitatis accessit.

Exemplum in
Instrum. Pac.
Westphal.
Art. XI. §. 6.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Tertia SIMVLTANEA INVESTITVRAE, *Tertia species
simultaneae
investitvrae,
sensu acceptae
speciali.* est species, qua pluribus eiusdem rei dominium vtile pure et in solidum ceditur, ita, vt alter, veluti VASALLVS PRINCEPS, rem possideat solus, eaque vtatur fruatur, eo vero deficiente alter, SIMVL INVESTITVS, eam vna cum possessione et vsufructu consequatur. *arg. I. F. 3. iunct. II. F. 88. VET. AVT. d. benefc. §. XIX.* Quae a praecedente in eo tantum differt, quod CLIENS PRINCIPALIS et SIMVL INVESTITVS possessionem non habeant communem, quum ceteroquin ambo in communiione dominii versentur.

§. XXXIV.

Eiusmodi species occurrit in *I. F. S. C. XXXV.* *Occurrit in I.
F. S. C.
XXXV.*
Leibet ein Herr ibres Vaters Guth seinen Kindern und Soehnen bey seinem Leben, vud doch der Vater das Guth in seinen Gewehren behält bis in seinen Tod. Nach des Vaters Tode sollen die Kinder binnen der IabrZeit zu dem Herrn kommen und ihn bitten, das er ihnen ihre Leben bekennen wolle, die zuvor ihr Vater, und sie iertzund von ihm zu Leben haben. et in I. F. A. C. LXVIII. §. 1. Obe ein Herre liebet Kindern ires Vatter gut by des Leben, unde der Vatter das gut allein in seiner Gewer heit unz an seinen Tott. Nach des Vatter Tott so kommen die Kind zu ibrem Herrn und bittent In, das er das gedencke, das er in das Gut lybe mit iren Vattern, und das er in ir leben erloube, und sullent dis tun in der Yorezabl, das ist derumbe, das su das Gewer nütt en heitent. nec non in
*I. F. A. C.
LXIX. §. 1.*
VET.

Et Ver. Aut.
d. benefic. §.
LXXXIX.

Quibus testi-
monis acce-
dit charta in
Glafey Anec-
dotis.

RET. AVT. de benefic. §. LXXXIX. si patris beneficium filii patre vivente cum patre fuerint inbeneficiati, et pater solus illud in possessione obtinuerit usque in infirmitatem, de qua non resurgit. Patris post obitum intra sex hebdomadas et annum ad dominum veniant, et ut fateatur petant concessum eis beneficium. Quibuscum sicuti conspirat charta de anno CIO CCCLX. in GLAFEY Anecdot. no. 171. p. 266. quae inuestituram a CAROLO IV. Imperatore, EBERHARDO juniore consuli Eslingensi, de liberis et hereditariis patris feudis hac lege concessam loquitur, ut pater, quoad vivit, solus quidem ea possidere, non tamen in praedictum filii, vel pro parte, vel in totum alienare queat: ita adducta testimonia sufficere possunt, ad probandum, non stabilem esse, nec manere sententiam A LVDEWIG d. simul. inuest. Diff. I. c. 3. §. fin. quod ex iure Germanico non constet de communi manu, nisi quae connexam habeat possessionem beneficium, vel naturalem, vel civilem. Immo vero filio cum patre inuestito dominium feudi utile commune est, nec is opus habet, ut post mortem patris illud ex huius adquirat inuestitura, sed, ut Dominus iusto imploratus tempore, illud, vi simultaneae olim concessae inuestiturae, ipsi denuo concedat: neque tamen viuo patre aliqua ipsi tribuitur possessio.

§. XXXV.

Communis
manus filio in
seculo compe-
tens paterno
non videtur
proficua.

Istiusmodi communis manus non quidem proficua videtur, I. F. A. C. LXVIII. §. 2. quia filius sine ea in clientelam patris succedit, I. F. S. C. VI. C. XXI. in fin. I. F. A. C. XLIII.

C. XLIII. §. 2. eaque impetrata onus renouationis mutato subit Domino, quae, si neglecta, nec minus tempore concessionis id actum fuerit, vt successio iure sanguinis cesaret, is clientela priuatur. GRIBNER *progr. Disp. SCHMIDTII d. diu. simult. inuest. spec. praemiss.* Quem admodum vero in feudo personali, successionis descendentium nescio, ea prorsus est necessaria ad successionem filio quaerendam: ita in beneficio, quod transit ad heredes, tantam hodie praestat utilitatem, vt filius eodem, quo alius simul inuestitus, successionis gaudeat iure, neque pater ipso inuito clientelam alienare, vel alio modo de ea possit disponere. Quale quid in feudo libero, & eatenus hereditario, vt possessori potestas competat alienandi, patri consentienti expresse prohibendum est, vt factum legitur in allegata charta apud GLAFEY in *Anecdot. d. l.* Tum quoque filius, vt secundum dispositionem II. F. 45. EDICT. TORGAV. d. ann. 1583. Tit. *Welberggestalt die Agnaten. §. Da aber ein Vater.* CONST. EL. SAX. 47. P. II. patris heres existat, non compellitur, sed facultatem habet feudum ab allodio separandi, seque oneri soluendorum debitorum subducendi hereditariorum. HORN I. F. C. XII. §. 25.

§. XXXVI.

Quod quum praeiudicare possit creditoribus, qui fidem patris non fuerant secuti, nisi filium, qui feudum ab allodio separare nequit, ei successurum credidissent, laudatus GRIBNER *d. l.* existimat, recte facturum Dominum, si filium ad simultaneam non admittat inuestituram,

Aliquando est utilis.

Nec iuste eanz Dominus denegat filio, creditorum causa.

E

ram,

ram, nisi iuri ex paterna quaesito inuestitura renuntiet. Ego non existimo. Aut enim fidelis gaudet iure offerendi simul inuestiendum, & Dominus eum recipere tenetur: aut non gaudet. Si prius, nihil Domini interest, siue vassallus filium, qui vi paternae succedere valet inuestiturae, siue aliam offerat personam. Quin fauori Domini magis per oblationem illius, quam huius prospicitur, dum spes consolidandi feudi minus removetur. Non regeas, reipublicae interesse, ut in ciuitate fides, & cum ea multitudo negotiorum promoueantur, hanc curam ad Principem pertinere, eamque merito praeferendam esse leui praeiudicio, quod ex copia extraneorum simul inuestitorum in ipsum redundare possit, & a casu dependeat incerto. Nam Princeps in negotio feudali, quod inter ipsum & vassallum haeret inuestiendum, legislatorem agere nequit, sed vices priuati & contrahentis gerit. Quum igitur causa creditorum, de quibus pariter incertum, an sint extituri, non sit causa Domini, huic sane exceptio, tua non interest, perpetuo obstat, quae eius postulationem, ut filius ad communem oblatum manum, iuri, quod ut filius ad succedendum habet, renuntiet, reddit iniquissimam. Sin vero posterius obtineat, ut Dominus cogi non possit ad simultaneam concedendam inuestituram: non tamen hanc iure denegat filio, sine ea succedenti. Ut enim taceam, quod nullum per eam Domino inferatur praeiudicium, fierique possit, ut creditores, etsi filius iuri renuntiet sanguinis, decipiantur, persuasi, debitoris fili-

vm

vm non posse beneficium ab allodio separare, & fidem patris idcirco secuti, non sane opus habet sapiens Legislator, vt creditorum ignotorum, nec adhuc existentium curam gerat, quia nouit, cautum creditorem, antequam fidem debitori habet, huius simul inuestitos, & eorum qualitatem explorare solere, &, si creditor incautus istam negligat explorationem, eius rationem non habendam, neque ex ciuibus incautis incautiores efficiendos esse.

§. XXXVII.

Non porro cum MENCKEN. *d. iur. offer. simul. inuest. §. X.* obiciat, eandem personam principaliter, & simul inuestiri non posse, filium in principali patris contineri inuestitura, dum clientes regulariter pro se & descendentes impetrant inuestituram, adeoque necesse fore, vt litterae inuestiturae ad personam restringantur patris, si filius ei vt simul inuestitus accedere velit. Etsi enim, patre pro se & descendentes inuestito, filius vi huius inuestiturae patri succedat: non tamen is principaliter inuestitur, sed hac inuestitura solus pater, quoad viuit, gaudet, in qua filius, siue pro descendentes clientela expresse concessa, siue pro iis tacite secundum naturam contractus data censeatur, non continetur, quam, quatenus iure vtitur perfecto, post mortem patris, loco illius, inuestituram consequendi principalem. Quod ius, quum non aequae sit forte, quam ius simul inuestiti, non impedit, ne viuo patre filius mediante manu communi a dominio participet vtili, adeoque ius adquirat fortius. Neque analogia iuris exigit, vt ne duplici iure

Filius cum patre simul inuestitus non etiam principaliter inuestitur, aequae opus est, vt inuestitura patris ad ipsius personam restringatur.

quis vtatur, vel, vt perpetuo ius fortius id, quod minus forte, absorbeat. Quod probat exemplum feudi pignoratitii, in quo vafallus non solum iure pignoris, velut imbecilliori, sed & praestantiori, nimirum dominio gaudet vtili. HORN I. F. C. IV. §. 10. seq. Quoad filius iure simultaneae instructus est inuestiturae, nec cum pluribus concurrat descenditibus, ad successionem adspiraturis, non vtique opus habet iure successionis ipsi ex patris inuestitura competente, sed tum effectus & vsus istius cessat. Non idcirco ipsum ius cessat. Nam vsus se exferit, simulac communis deficit manus, vel successio exinde resultans longius abest, quam successio, quae fit iure sanguinis. GRIBNER *dict. progr. not. i. l.*

Sed non obstante simultanea filii inuestitura patris pro se & descenditibus principaliter inuestiri debet.

Vnde non solum non est necesse, vt, filio communem impetrante manum, litterae, quae inuestiturae principalis sunt testes, ad patrem restringantur, sed & in beneficio non personali opus est, vt ista absit restrictio. Nam etsi concederem, pro filio simul inuestito patrem non esse principaliter inuestiendum: non tamen per eiusmodi restrictionem aliis filiis, vel natis, vel nascituris praediudicare licet.

§. XXXVIII.

In recensitis speciebus simultaneae inuestiturae nihil refert, an communicio ab initio, an ex post facto ab inuestitis inestur.

Equidem in speciebus simultaneae inuestiturae hactenus explicatis nihil interest, an domini communicio utilis mox ab initio, an ex post facto inestur, si modo vafallo inuito condominus utilis non obrudatur, nec ius auferatur semel comparatum. Quod si vero naturam bonorum auitorum, secundum praescos Germaniae mores,

con-

confulas, peculiaris emergit obseruatio, viam parans, ad veram communis manus, hodie in Germania, potissimum vero Saxonia, nec non huic vicino Principatu Anhaltino frequentatae, originem deducendam.

§. XXXIX.

Nimirum paterna beneficia olim sine consensu filiorum alienari non potuerunt. Quod plura loca tam ex iure Saxonico, quam Alemannico probant. In I. F. S. C. LV. dicitur: *Der Mann ist auch nicht pflichtig, seines Herrn Gelübde jemand zu leisten, noch auch ein Sohn seines Vaters, das er sein Gut auflassen solle.* Idem significantius exprimitur in I. P. S. L. 1. art. 9. in fin. *Stirbt auch einer, der sein Leben einem andern auflassen solle, dessen Sohn ist es nicht pflichtig aufzulassen. Er hab denn deshalb mit gelobt, oder Burgen davor gesetzt.* Eadem fere verba, quae primo loco ex Saxone retulimus, occurrunt in I. F. A. C. XCVIII. §. 2. *Der Mann ist nur schuldig zu leustende des Herrn Gelübde, noch das Kind des Vaters, das su ir Gut uffgebeht.* Neque ad officium pertinuit filii, vt patris existeret heres, sed beneficium sine allodio potuit retinere, quam obrem filius in feudum succedens, expresse opponitur heredi allodiali, I. P. S. L. II. art. 21. circ. fin. *Hat auch ein Manneinen Sohn, der sein Lebens-Erbe ist nach Lehn-Recht, er bebaelt seines Vaters Gebaeude gar auf seinem Leben, mit mehrern Rechten, dann der sein Erb ist nach Land-Recht.* nec feloniam patris filio nocuit, sed clientela, quam pater amisit, illi restituenda fuit. I. F. A. C. LXXXIX. §. 7. *Her aber der*

Veruntamen quae ex post facto inicitur, viam parat ad deducendam originem communis Saxonum manus.

Prisco iure paterna beneficia sine consensu filiorum non poterant alienari.

Nec filii patris heredes existere sunt coacti, sed beneficium sine allodio retinere potuerunt.

Man einen Sun, dem soll er das Leben liben. Die Kint sollen des Vatter Schulde nut entgelten, do er selber Schulde nut en bet.

§. XL.

*Etiā bona
allodialia im-
mobilia sine
consensu he-
redum non po-
terant alie-
nari.*

Idem mos in bonis allodialibus obtinuit, vt, si non comparata, sed hereditaria essent, ad eorum alienationem consensus filiorum, quin & reliquorum desideraretur heredum. I. P. S. L. I. Art. 52. WEICHBILD. SAXON. art. XX. I. P. A. C. CCCVII. Quod porro probant chartae innumerae, de alienationibus feudorum aequae, ac allodiorum, consensu liberorum & heredum factis agentes, quas ex seculo XII. XIII. & XIV. collegit A. L. V. DEWIG & inseruit *reliquis manuscriptorum*, de quibus in primis no. 21. 87. 92. 179. 182. 219. 261. Tom. I. no. 97. 171. Tom. II. no. 88. p. 117. Tom. IV. no. 69. p. 95. Tom. V. notari merentur, & quae eis palmam praeripit in GLAFEY *Anecdote*, n. 29. qua iuribus, quae liberam de rebus suis disponendi facultatem impediunt, per priuilegium expresse derogatur. Add. SCHATEN *annal. Paderborn.* ad ann. 1237. p. 33. ad ann. 1265. p. 108. seq. ad ann. 1302. p. 169. ad ann. 1312. p. 251. 259. Probant quoque statuta Lubecensia, Bremensia & Hamburgensia, quae priscam consuetudinem perpetuo seruant, MEVIUS *ad Ius Lub. L. I. art. 1. tit. 5. n. 5.* STRYK. *Vf. Mod. L. XXIV. Tit. 1. §. 4.* vt nihil nunc moneam de legibus Germanorum antiquis, RIPVARIA, SALICA, SAXONICA, ANGLIORVM & WERINORVM, vel quoque temporibus Germaniae antiquissimis, de quibus videndus TACITVS *d. M. G. C. XX.* ibique DITHMAR §. XLI.

§. XLI.

Sicut igitur, quod ad bona auita, eademque allodia attinet, vera est obseruatio A LVDEWIG d. *simult. inuest. Differ. I. c. 2. §. 7.* illorum possessorem se habuisse instar fructuarii, eorumque proprietatem ad gentem pertinuisse vniuersam: ita e contrario clientelae non nisi ad vasallum possessorem eiusque spectarunt descendentes, & licet auitae essent, nec non defuncti vasalli collaterales, vel filii, vel nepotes essent primi acquirentis, non tamen, post diuisionem semel factam, ad eos legitimo successione iure sunt deuoluae, sed hi omni succedendi spe destituebantur. *I. F. S. C. VI. C. XXI. in fin. I. F. A. C. XLIII. §. 2.* Qua si carere nollent, alio modo ius succedendi acquirere opus habuerunt. Quod per nouam fieri solebat investituram. Quam sicuti Dominus non concedebat inuitus: ita in praeiudicium vasalli clientelam tenentis largiri non poterat. Etsi hic per consensum fauori renuntiaret suo, non tamen renuntiatio in praeiudicium valuit filiorum, quibus nec commodum successione adimi inuitis, nec sine eorum voluntate grauari potuit.

§. XLII.

Iam habes causam, cur in iure Germanico tantum de inuestitura euentuali, qua agnatis in beneficio soli concessio possessori, spes succedendi adquiri possit, *von verleihung des Gedinges, der Anwartschaft, I. F. S. C. XXXII. C. LVII.* neutiquam de inuestitura simultanea, e contrario vero in *I. F. S. C. XXXV. I. F. A. C. LXVIII. §. 1. & VET. AVT. d. benefic. §. LXXXIX.* de inuestitura filiorum simul-

Sicuti feuda ad descendentes tantum deuoluta: ita de iis, quae uni per diuisionem obueuerunt, in praeiudicium filiorum ipsius alius simul inuestiri nequit.

Sed accepit expectatiuam, vel investituram euentualem,

quae, liberis
possessori
agnatis, vel
inuestiente
ante vacatio-
nem defun-
cto, expira-
vit.

multanea mentio fiat, ita, ut frustra sit SCHILTER *d. simult. inuest. C. III. §. 2.* qui per verba *Geding, Anwartsung*, non tantum expectantiam pressè dictam, sed etiam communem manum in allegatis denotari putat capitulis. Habes quoque causam, cur inuestitura euanuerit euentualis, simul ac possessor clientelae liberis donatus est, vel inuestiens ante eius vacationem decessit. *I. F. S. C. XI. d. C. LVII. C. LIX. ibi: alle Leben ohne Gewehr haben keine Folge. I. P. S. L. I. art. 33.*

§. XLIII.

Olim commu-
nis manus
agnatorum
non etiam no-
ta fuit, ut ea
filiorum.

Filios enim in successione nullus antecedit, quare nemo impedimento esse poterat, ne illis viuo patre condominium clientelae pure cederetur. Ex aduerso quum sine eorum consensu feudum antiquum alienari non posset, ne quidem proximo agnato, postquam illius ius per diuisionem solutum, nouum ius, ad successionem impofterum consequendam pure concedi, non eum in finem condominium ipsi tribui, nec ea ratione species peragi potuit alienationis. Tantum igitur dominium euentuale sub conditione, si possessor non haberet liberos, vel liberi post mortem patris clientelam ad expectantem peruenire consentirent, transferri potuit. *via. LVNIG C. I. F. G. Tom. I. no. 73. p. 683. ibi: Si vero heredes reliquerit, volumus tamen, quod dicta concessio rata permaneat, dummodo hoc de ipsorum heredum processerit voluntate.* Existentibus enim liberis vassalli possessoris, neque consentientibus, non superuicturus credebatur Dominus, euentualē donans inuestituram, ut haec saltem, iis sine vltioribus descendentibus

dentibus extinctis, effectu gaudere potuerit. At si Domino viuo beneficium non vacaret, nequidem is, secundum indolem laudatae successionis Germanicae, filio praeiudicare poterat suo, sed expectans, vt nouam expectantiam, vel inuestituram euentualem, a nouo Domino, eandem faciente gratiam, impetraret, necesse habuit. Quod sicuti paroemiam iuris produxit Germanici, *am Geding ist keine Folge*, in I. F. S. C. V. d. C. XI. C. XXVI. d. C. LVII. § LIX. oppido fundatam, HERT. d. paroem. iur. Germ. L. II. par. 21. PISTORIUS *thes. paroem. Germ. iurid. Cent. IV. C. 58.* ita euenit, vt talis expectatiua, vel potius inuestitura euentualis, etiam morte expiraret accipientis, nec ad eius transfret filium. Quippe quod clarissime asseritur in d. C. XI. *Welch Gut einem nach der Belebung nicht angeweißt ist, und es auch in seinen Gewebren nicht hat, mit dem mag er nicht folgen an einen andern Herrn, ob der vorige Herr stirbet, er kan es auch nicht erben an seinen Sohn*, nec non in d. C. XXVI. *Es ist aber keine Folge daran, man erbet es auch nicht an die Soehne*, ut & a VET. AVT. d. benef. §. XX. *manus secunda non habebit beneficium, nisi in beneficiis praedeceßor eius in die sui obitus ea in sua habuerit warandia, & Dominus adhuc vixerit, qui eum inbeneficiauit.* nec minus §. XXXIII. *Bona quae non habet homo in possessione sua, & quae non sunt sibi demonstrata, haec non hereditat in filium.* Vnde, quod PISTORIUS d. l. STRVVIVM secutus de filiis asserit, quoad eos fallere paroemiam, id ad ius pertinet nouum, quod cum iure veteri confundendum non est.

Et illorum inuestitura euentualis, tam morte dantis quam accipientis interit.

F

§. XLIV.

§. XLIV.

Notatur
Koch d. expe-
ctat. & in-
uest. euent.

Et a verò alienus est KOCH d. expectat. & inuest. euent. C. I. §. 25. not. f. p. 57. opinatus, in I. F. S. d. C. V. non diserte obligationem, ad inuestituram a patre datam renouandam excludi, sed inuestiturae renouationem solummodo expectiuato remissam esse. Quae opinatio vti oppido repugnat d. C. XI. & C. XXVI. vbi Folge an den Herrn, & Vererbung an die Soehne inuicem comparantur, vtrumque vero negatur, & de cetero Dominus, vt inuestituram euentualem ab antecessore datam renouet, non obstringitur: ita formulae hodiernum vsitatae, dem Leben, der gesanten Hand Folge leisten, non patrocinantur KOCHIO, vt quidem credit C. III. §. II. quum formulae istae ex obligatione ad renouandam inuestituram pure concessam, cui successor Domini subiectus, originem traxerint. Quando enim beneficium morte concedentis non expirat, vasallus nouum Dominum, qui eum recognoscere debet, sequitur, quod dicitur Folge an den Herrn. Eodem sensu de vasallo asseritur, das er dem Lebn Folge leiste, quando renouationem inuestiturae a Domino petit, eoque efficit, vt vicissim Dominus obligationi suae, in peragenda inuestiturae renouatione, satisfacere cogatur.

§. XLV.

Quia inuesti-
tura euentua-
lis minus sta-
bilis fuit, hinc
heredes lu-
bentius a di-
uisionibus feu-
dorum absti-

Quum igitur ius euentualiter inuestiti minus stabile, nec expeditum esset, quod Dominus, postquam dominium clientelae vtile vni coheredum cessum, reliquis vel prima vice inuestituram largiturus euentualem, vel illa ob liberos vasalli possessoris, vel mortem concedentis, vel

vel accipientis, expirante, denuo talem daturus sit, facile est ad intelligendum, heredes a diuisionibus beneficiorum lubentius abstinuisse, & ne Dominus, vt vni cederentur, postulare posset, per seniorem familiae, tanquam prouasallum, ad seruitia in solidum praestanda obstrictum, vel quoque, consentiente Domino, per se recognouisse. Cuiusmodi exempla praebet A LVDEWIG *reliqu. manuscr. Tom. I. no. 330. 331. 332. 333. p. 494. seqq. Tom. X. no. 4. p. 578. seq.* Tum enim simul inuestiti certiores erant, Dominum nullo casu inuestiturae renouationem denegare posse, & uno sine descendantibus extincto, totum beneficium ad reliquos pertinere. Cui accedebat, quod socii, iubente necessitate, per priuatam vsusfructus partitionem sibi possent consulere.

nuerunt, communem de his imperrantes inuestituram.

§. XLVI.

Eandem agnatorum in conseruando beneficio paterno consuetudinem, vt vasallus, beneficium acquirens nouum, imitaretur, si alteri alicui certam succedendi spem comparare vellet, non etiam necessarium fuisse videtur. Non enim liberis, in bonis a parentibus proprio quaesitis labore, simile comperit ius, eorum impediendi alienationem, & hoc colore simultaneae negotium inuestiturae impugnandi. Verumtamen ante iuris Romani & Longobardici receptionem moris fuit, vt non alii, quam liberi manu communi, sine possessionis & vsusfructus datione, pure donarentur. Qui ergo nouum adquirebat feudum, non potuit non more viuere recepto. Et quemadmodum ab agnatis diuisio institui censebatur, si vnus commu-

Idem mos ad feudum transiit nouum, quoniam, ante iuris Romani & Longobardici receptionem, vsu venit, vt non alii, quam liberi manu communi, sine possessionis & vsusfructus datione, pure donarentur.

nem resignaret inuestituram, vt alter solus haberet beneficium, nec non, si resignans, ad spem succedendi conseruandam, nouam impetraret inuestitionem, haec euentualis & minus stabilis fuit: ita quilibet non difficulter cognoscet, quod tum quoque, si duo de feudo nouo ea inuestirentur lege, vt alter tantum frueretur clientela, & post ipsius mortem alter eam haberet solus, illius inuestitura pro singulari, huius vero pro euentuali fuerit habita. Quod ne fieret, nouum comparantes beneficium non minus necesse habuerunt, vt eius indiuisi communem impetrarent inuestituram, vel vni, vt curatori feudi, tam ipsius, quam focii vel fociorum nomine, vel pro lubitu Domini directi singulis concedendam. Peculiari vero & ab inuestitura separata conuentione, id ipsis efficiendum fuit, vt alter viuis feudum haberet solus, & eo sine liberis defuncto, alter succederet.

§. XLVII.

Quantam fecerit iacturam ius Germanorum vetus, iure Romano & Longobardico introductis, nemini non est notum, quin omnibus notissimum. Non igitur mirum, quod pariter iura hactenus enarrata maximum senserint decrementum, & diuersimode sint immutata. Vfus distinctionis inter bona comparata & hereditaria vbiuis fere, etsi non penitus, maximam tamen euauit partem, libera de rebus suis disponendi facultate cuius permiffa. Quod testamentorum vsus, ex iure profectus ciuili, satis superque probat. Probant quoque statuta nonnullarum Germaniae ciuitatum, quae §. LX. excitauiamus, eam ob
cauf.

Post iuris Romani & Longobardici receptionem cessauit in plerisque locis distinctio inter bona comparata & hereditaria, & libera de rebus suis disponendi facultas cuius est permiffa.

causam condita, ne mos antiquus, bona hereditaria sine consensu heredum non alienandi, apud statuentes extirpatus videretur. Probant deinde contractuum *pro se & heredibus* initorum formulae recentiores, quae in locum antiquiorum, adhibitum heredum consensum significantium, successerunt, quo pertinet charta de anno CIOCCCCLIV. quam habet A LVDEWIG *reliqu. manuscr. T. I. p. 482.* Porro ad impediendam bonorum alienationem, & ne ea heredibus possent adimi, familiae, Principis consensu & confirmatione accedente, communionem contraxerunt, teste charta de anno CIOCCCLXI. in GLAFEY *Anecdor. no. 424. p. 537.* certe non aliam ob causam, quam, quia ius Romanum hac in re superius euasit veteri Germanorum disciplina.

§. XLIX.

Quam ergo fecit iacturam ius liberorum in parentum allodiis & bonis hereditariis, eandem sane fecit in clientelis, quum, etsi proprietas Domino competens etiamnum restrictum faceret feudorum commercium, iuris tamen liberis competentis, tam quoad beneficia, quam allodia, idem esset fons & origo. Nimirum allodia pariter, ac clientelae, eam ob causam olim sine consensu liberorum non poterant alienari, quod ea ex voluntate & pacto maiorum ad liberos deuolui & pertinere crederent Germani. Postquam vero hi principium iuris civilis, liberos parentibus succedere iure hereditario, admiserunt, quis dubitet, hoc sine distinctione inter feuda & allodia esse admissum, praesertim, quum

Tum quoque successio liberorum hereditaria inuoluit, tam in feudis, quam allodiis.

ius Longobardicum eandem luderet Iyram, II. F. 45. II. F. 51. §. 4. & hoc tantam mox consequeretur auctoritatem, vt studiosi iuris in Academia primò Italiae, & dein Germaniae, non nisi eo imbuerentur.

§. XLIX.

Frustra quoad feuda dissentit a Ludewig,

Etenim suauia sunt somnia, quae somniat A LVDEWIG d. obligat. successor. in principat. & clientel. C. VI. seq. propugnans, etiamnum ex facto decessoris ne quicquam obligari filium, in clientelam successorem autam. Cui doctrinae non tantum rationes repugnant ante allatae, sed & praxis quotidiana, etiam Imperialis, praeiudiciis notioribus, & maiori Principum libertate, L. B. A LYNCKER Dec. CCXXXV. A LVDOLF d. iur. primogen. Part. spec. aphor. VI. n. 7. quin ipsa necessitate, ne vassalli fide habenda & vsu negotiorum destituantur, innixa reclamationat. Quae saeculo XIV. iam inualuit, teste charta in GLAFEY Anecdor. no. 268. p. 390. seq. qua FRIDERICVS II. Imperator filios HENRICI DE RAVENSPVRG, propter delictum parentum tam clientelis, quam allodiis priuatos, in allodiis quidem, at non in feudis restituit, quibus tamen secundum iuris formulam prisca delictum patris non praeiudicare debuisset. vid. supr. §. XXXIX. Taceo, quod ipso A LVDEWIG d. C. VI. §. 4. lit. m. fatente longa sit Germaniae statutorum seges, quae in beneficiis prouincialibus filium obligant ex facto paterno. Quae sicuti ipse enumerat, & eo pertinet ORDIN. PROV. ANHALT. Tit. XV. Was aber die Soehne betrifft, seynd dieselbe alle ihrer Vaeter Schulden, wofern das

das Erbe nicht zureicht, aus den Früchten des Lehns, oder, wenn des Lehn-Herrn und der Mitbelehnten consens zu erlangen, gar vermittelst Verkaufung dererelben zu bezahlen verbunden.

LVNIG C. I. F. G. Tom. II. p. 1822. ita vereor, ne regulam ab ipso defensam obruant. Quumque in his terris ob EDICT. TORGAV. & CONST. EL. SAX. 47. P. II. nullo dubio sit inuolutum, quod factum patris praiudicet filio, qui repudiato allodio beneficium retinere nequit, & ea ratione Saxones hac in re ius deseruerint vetus, quis non censeat, id multo magis, multoque prius a reliquis Germaniae populis factum esse? si perpendat, Saxones ante alios moris tenaces fuisse vetusti.

§. L.

Equidem omnes Icti in eo conueniunt, hodie inuestituram non concidere euentualem, si fideli feudum possidenti liberi nascantur successores, sed eam longum post interuallum, simulac vasallus deficit possessor, effectu gaudere suo, nisi conditio, *si possessor non habeat liberos*, ipsi concessioni, & non modo illius executioni sit adiecta. Quaesio quam ob causam? Certe alia, quae magis sit vera, dari nequit, quam, quia Dominus inuestiens hoc facto suos obligat heredes, ita, vt, inuestitus eiusque heredes fructum habeant inuestiturae, quamuis apertura clientelae non proxime, sed post longissimum existat temporis tractum. Sic igitur ius Romanum, & cum eo iuris placita Longobardici I. F. 9. priscos Germanorum mores tantopere migrauerunt, vt expectatiuae & inuestiturae euentuales non praecise ad casum, si vasallus

Inde expectatiuae & inuestiturae euentuales novam inducunt faciem.

lus sine liberis decessit, neque ad vitam concedentis, & accipientis, restringerentur, nec in dubio putarentur restrictae, sed hac ratione, intuitu Dominorum secularium, heredes relinquentium, in negotium degenerarent purum, scilicet cessionem iuris, in feudum succedendi apertum, absolutam. *add. CONST. SAX. EL. 45. P. II. Exempla expectantiarum & euentualium inuestiturarum, quae collegit KOCH d. expectat. & inuest. euent. C. III. §. 8. lit. u. aliaque in GLAFEY Anecdor. A LVDEWIG reliqu. manuscriptorum, SCHILTER. Dissert. d. simult. inuest. & alibi passim obuia, condocent, qua ratione haec iurium mutatio non quidem vno ic̄tu, sed sensim seculo XIII. XIV. & maxime XV. fit facta, certissime principiis iuris ciuilibus & Longobardici, magis magisque inualescentibus adscribenda.*

§. LI.

*Noua subortæ
est inuestitu-
rae species, de
iure Domino
competente, in
beneficium a-
perturae ob-
noxium suc-
cedendi.*

Nouam quum hac ratione induerit faciem inuestitura euentualis, Dominique viderent, sic quidem expectanti, etiam sine consensu vasalli possessoris, ius succedendi adquiri posse, neque concedentis, neque accipientis morte, neque liberis possessori agnatis intermoriturum, illi facile intellexerunt, idem ius euadere fortius, & ipsam rem afficere clientelarem, si Dominus de iure, quod sibi & heredibus suis competit, ad succedendum in beneficium vacans, inuestiat expectantem. Quo modo alia & noua superinfeudationis species est exorta frequentarique coepit, ab inuestitura euentuali penitus diuersa: quemadmodum data probauit opera PRAESES *a. iur. succed.*

in Ducat. Jul. & Mont. feud. mascul. §. XVII. seqq. & eam doctrinam porro confirmant chartae in GLAFEY Anecdot. no. 67. p. 108. seq. no. 89. p. 139. Tum intellexerunt vasalli, ipsos quoque cum alio quouis dominii communionem utilis in feudo inire posse, ut is valido & irrevocabili iure gaudeat succedendi, quamvis ipsi inuestitura, praesentem tribuens possessionem & facultatem percipiendi fructus, non conferatur. Postmodum de praerogativa gradus & lineae in succedendo, ex iure tam Romano, quam Longobardico edocti fuerant, discentes, talismodi successionem in lege fundari inuestiturae, & nihilominus dominii communionem utilis conservari posse.

§. LII.

Plures igitur familiae veterem quidem servabant consuetudinem, ut clientelas suas, quasi indivisas per seniores, vel alium recognoscerent prouasallum, verumtamen legem addi inuestiturae & ea exprimi curauerunt, qua ratione aliis inuestitorum ususfructus, aliis vero ius succedendi suo tempore & ordine competeret. Quomodo reuera secunda & tertia simultaneae species inuestiturae, supra adductae, pro lubitu contrahentium, & sine personarum discrimine sunt frequentatae. Quin & ius succedendi alteri inuestitorum quaesitum, per verba, *in gesamter Hand*, siue, *zur gesamten Hand*, presse accepta significatum, & a simultanea feudorum in communi-
onem usurpatorum inuestitura, iam pressius *Samt Lehn*, *Saemtliche Belehnung*, dicta separatum est, ut probant chartae,

Secunda & tertia species simultaneae inuestiturae, supra adductae, sine personarum discrimine sunt frequentatae.

G

quas

quas habet A LVDEWIG *reliqu. manuscr. Tom. I. no. 334. 335. p. 501. seqq.*

§. LIII.

*Successio simul
inuestitorum
secundum li-
neae & gra-
dus praeroga-
tium extra
Saxoniam in-
valuit, ut non
amplius opus
esset pacto
speciali.*

Principio successio agnatorum, secundum gradus & lineae praerogatiuam, pacto definiebatur, &, si fortassis vasallus extraneas in communionem assumeret personas, sed non omnes pari successione donaret iure, lege inuestiturae caueri consuevit, quo ordine diuersa simul inuestitorum stemmata ad successionem vocarentur. Mox vniformis conuentio, de quaesita agnatis secundum gradus praerogatiuam successione, dum per tempus obseruata est, nec non auctoritas, quam ius ciuile cum appendice suo, puta iure Longobardico, in aliis Germania prouinciis magis & citius, quam in Saxonia accepit, nouam extra Saxoniam produxerunt consuetudinem, vt, licet de gradus praerogatiua nihil sit dictum, nihilominus id tacite subintelligeretur. Ita enim se res habet cum simultanea inuestitura, quae adhuc in Hassia, ESTOR *klein. Schr. Tom. I. P. 1. no. 2. c. 2.* nec non in terris Brunuicenis, SENCKENBERG *d. feud. Brunuic. & Luneburg. §. XXIX. seqq.* vsu seruatur, et, si excipias singularia, quae iuris ciuilibus & Longobardici commixtioni debentur, non sane recentioris est inuentum aetatis, sed antiquis Germaniae moribus accensenda.

§. LIV.

*Non nouae
statuendae
sunt species si-
multaneae in-
uestiturae,
quando a re.*

Nec tamen cum RICCIARDO DE ANTIQVIS *d. vs. iur. Longob. in German. terr. §. LX. seqq.* eam peculiarem, velim, facias speciem. Equidem de feudis Brunuic-

Brunsvicensium, *Samt Leben* vocatis, quae ipsorum beneficii, per inuestituram singularem in possessorem translatis, & *Sunder Leben* dictis, opponuntur, recenset SENCKENBERG *d. l.* quod I. in iis agnati non iure sanguinis, sed beneficio communis succedant manus, II. praerogatiua gradus inter eos, qui primo nominati sunt loco, obseruetur, quamuis de ea nihil sit dictum, III. non omnia in inuestitura nominata stemmata, sed vnum post aliud, vocentur, & quasi gradualis detur inuestitura, primi, secundi, tertii gradus, & sic porro, IV. inuestitura pro omnibus in primo existentibus gradu semper recipiatur per seniores domus, V. non, nisi ii, qui in prima sunt classe, mandata dent ad inuestituram accipiendam, reliquis classibus plane quiescentibus. Praeterquam vero quod horum alia etiam in aliis Germania occurrunt prouinciis, ESTOR *d. l.* non ea propter noua simultaneae species inuestiturae asserenda erit, quum alioquin tot recensendae essent species, quot sunt prouinciae, quae tribus speciebus, supra §. IX. XXXI. & XXXIII. a nobis recensitis, alia atque alia vtuntur ratione. Sufficit, quod modo haec, modo illa de iis, Brunsvicensem, & reliquis aliarum complectatur regionum. Nulla enim, si speciali simultaneae verbo inuestiturae vtaris, in Germania occurrit, nec salua concipi potest ratione, quae non ad vnam de iis iure meritoque referatur.

centris quodammodo differunt.

§. LV.

Equidem secundum ea, quae adhuc maximo probauimus opere, sua luce radiare existimo, non a vero alienam

Origo simultaneae inuestiturae potius in restricta

per mores an-
tiquos in bona
clientelaria
successione,

quam in obla-
tione feudo-
rum quaeren-
da est.

alienam esse sententiam SCHILTERI *d. simul. inuest. C. II. §. 1.* originem communis Germanorum manus in restricta per mores antiquos in bona clientelaria successione quaerendam esse. Viam saltem, qua incedendum fit, ad sententiam istam recte deducendam, omnes, quantum scio, transiisse, & operam ei rei nauandam defugisse videntur. Qui vero a partium studio alienus est, fatebitur, tutissimam viam a nobis detectam, & eadem fidelia explosam esse haeresin A LVDEWIG, qui *Disp. d. simul. inuest. Diff. I. & c. 2. §. 1. 7. 10. 12.* Germanos, & imprimis Saxones, iisdem sibi visus sapientior, docere conatur, communem manum oblationi feudorum originem debere suam. Nam etsi principia, quae ipsimet probauimus, euincerent, ius heredum in praedia hereditaria & gentilitia prohibuisse, ne ea in praeiudicium familiae in feuda offerrentur, qua ratione immediati Imperii nobiles in Franconia oppositam Episcopo Herbipolensi consuetudinem deriuant, propugnantes, ipsorum clientelas cuiusuis primi acquirentis genti vniuersae in dubio censeret concessas, & ad omnes, qui sanguinis, nominis & armorum gentilitiorum communione vtuntur, *eines Nahmens, Stammes, Schild- und Helms-Genossen*, etsi a primo non descendant acquirente, legitimo successione iure deuolui, CAR. FRID. SCHOEPFF *d. feud. Francon. inprim. Herbipolens. C. I.* non tamen ista probant principia, oblationem in feudum causam dedisse simultaneae inuestiturae hodie vsitatae.

§. LVI.

Haec enim si vera esset caussa, sequeretur, pleraque Germanorum beneficia sua natura, etiam in Saxonia, in feminas transire, vt recte animaduertit KOCH, vel, qui sub eius nomine latere voluit, KRESSE *d. expectat. & inuest. euent. C. III. §. 9.* quia maximam partem praedia auita illius fuerunt indolis, vt ad feminas, etsi non prius, quam masculis deficientibus, peruenerint. Quod quidem A LVDEWIG de Saxonia negare videtur *d. §. 8. & 12.* Quemadmodum vero pro more ea, quae ipsi ex legibus Saxonum antiquis contraria, omisit *d. §. 8.* ita frequentia *Tit. VII. §. 5.* verba ipsi contradicunt: *qui defunctus non filios, sed filias reliquerit, ad eas omnis hereditas pertineat.* Contradicit quoque *I. P. S. L. I. art. 17. Des Vaters, der Mutter, der Schwester und des Bruders Erbe nimmt der Sohn, und nicht die Tochter, es sey dann, das da kein Sohn sey, so nimmt es die Tochter.* Add. GAERTNER *ad Leg. Sax. Antiqu. Tit. VII. §. 1.* Contradicit tandem praxis medii aevi, quam pluribus euicit documentis KOCH *d. l.* iam vero vt in reliqua Germania regulariter clientelae successionem ignorant feminarum: ita de feudis Saxonice A LVDEWIG ipsemet fatetur *d. §. 12.* plurima esse masculina, paucissima, in quibus feminae succedant. Adeoque armis vtitur se ipsum iugulantis.

Alioquin sequeretur, pleraque Germanorum beneficia in feminas transire.

etiam in Saxonia.

§. LVII.

Deinde quum ius familiae in bona hereditaria & auita reuera non ex alio fonte, quam ex moribus feudum offe-

Nil obstat, ne in medio aeuumos, bona in feudum offe-

*veni, vince-
re potuerit ius
familiae in
bona heredi-
taria & au-
ta.*

*Istis tempori-
bus vero, si
possessor gen-
ti suae in
oblatione feu-
dorum prospice-
re vellet,
opus fuit, ut
vel vniuersae
genti commu-
nis feudi in-
diuisi inuesti-
tura concederetur,
vel of-
ferens inue-
stituram ac-
ciperet singu-
larem, & reli-
qui de fami-
lia euentua-
lem.*

*Adhuc hodie
iustia est praec-*

scenderet Germanorum, an non illi, per contrariam consuetudinem & morem bona offerendi in feudum, derogatum esse, & derogari potuisse existimes, ita, ut nullo medio, agnatis successionem in beneficiis conferuandi oblatis, opus fuerit? Interim tam Saxones, quam reliqui Germani omni tempore de promouendo gentis suae splendore solliciti fuerunt. Qua igitur via, ante iuris admissionem Longobardici, eos, qui feuda amarunt oblata, incedere oportuit, ad finem suum obtinendum? Certe non alia, quam vsitata & omnibus nota. Qua propter antequam communis manus tam in Saxonia, quam extra eam praesentem accepit formam, non aliud fuit medium, quam, ut gens vniuersa, vel ii, qui de successione seruanda laborarunt, praedium offerrent nexui clientelari indiuisum, & hac ratione simultaneam acciperent inuestituram, vel vnus inuestituram impetraret singularem, reliqui euentualem. Alia media speculatorum, Saxonici & Sueuici, temporibus non erant nota, & nihilominus oblatio feudorum in vsu fuit. *I. P. S. L. I. art. 34.* Postea quam vero communis manus faciem, quae nunc est, assumpsit, ea sane idoneum fuit medium agnatis acquirendi successionem, idque eo fine adhibitum esse in clientelis oblatis, quis dubitet? Quis tamen ipsam oblationem, etiamsi porro ius familiae antiquum in bonis attendat hereditariis, pro eius causa recte venditauerit, ego non perspicio.

§. LVIII. *Tum secundum ea, quae de origine & progressu simul-*

simultaneae in Germania inuestiturae disferuimus, is, qui a partium studio alienus est, lubenter fatebitur, iustam esse praesumptionem, quod hodiernum non solum in Saxonia, sed & extra eam, regulariter nemo vi sanguinis succedat, nisi descendens sit vasalli ultimo defuncti, agnatis, communi destitutis manu, a successione exclusis, ita, ut ad exceptionem pertineat a regula, si ad agnatos, a primo sanguinem ducentes adquirente, successio deferatur more Longobardorum, sine inuestitura simultanea. Quamvis enim extra Saxoniam agnati simul inuestiti secundum gradus succedant praerogatiuam, neque opus sit aliquid hac de re simultaneae lege inuestiturae cautum esse, quod omnino receptioni iuris debetur Longobardici: non tamen filium procedit consecutionis, priscae regulam iuris, feudum non, nisi a patre ad filium, iure sanguinis deuolui, penitus esse sublatam. Quandoquidem a derogatione iuris, quae fit pro parte, ad eius abrogationem, quae id plane tollit, non valet consequentia.

§. LIX.

Nihilominus data contradicit opera GUNDLING P. III. Gundlingian. C. I. §. 18. seqq. arbitratus, ab HENRICO VI. Imperatore successione in clientelis ad collaterales & cognatos extensam esse. Quam legem quum Principes acceptauerint Germaniae, solummodo Saxonibus, utpote iuris sui tenacioribus, obrectantibus, eo pacto quidem simultaneae usum inuestiturae saluum sterisse in Saxonia, sed extra eam penitus exulasse. Cuius rei causa prouocat ad GERVASIVM TILBERIENSEM, qui

sumtio, quod non solum in Saxonia, sed & extra eam saltem defuncti vasalli descendentes vi sanguinis succedant, exclusis agnatis, communi destitutis manu.

Sententia Gundlingii, successione ad collaterales & cognatos extensam esse, examinatur.

Geruasius Tilberiensis, ad quem ille pro-

vocat, ad
Procerum
Germaniae
feudarestrin-
gendus est.

qui in *otii Imperialibus* apud LEIBNITIVM T. I. *Rer. Brunsvic. p. 943.* de Imperatore isto scribit: *Hic legem instituit apud Teutones, ut militiae, more Gallorum & Anglorum, successionis iure devoluerentur ad proximiores cognationis gradus, quum antea magis penderent ex Principis gratia.* Quo minus vero haec de vasallis ordinis minoris eorumque militiis accipiamus, iam reliqua, quae immediate sequuntur, persuadent: *Ideoque ad suum refundens commodum, quod aliis impertitus est beneficium, impetrauit a subditis, ut cessante pristina Palatinorum electione, Imperium in ipsius posteritatem, distincta proximiorum successione transiret, & sic in ipso terminus esset electionis, principiumque successivae dignitatis.* Non enim nisi a Proceribus Germaniae commodum illud petere & impetrare potuit Imperator, ut suae domui dignitatem Regis Germanorum nexu iungeret hereditario. Qui igitur novit, mediam Germaniae aetatem, tam amplam vocum istarum *militis, militiae* admisisse significationem, ut iis non minus Principes & eorum clientelas denotare moris esset, DV FRESNE *Glossar. voc. militare Tom. IV. p. 747. nou. edit. in fin.* etsi hoc nomine frequentius inferioris nobiles ordinis, & potissimum ii, qui solemni ritu cingulum adquisuerant militare, venerint CRAMER *d. nobilit. auit. Tom. I. C. I. §. 5. p. 15.* is nullus dubitabit, dicta GERVASII verba ad Principes, tanquam primos Imperii milites restringere, quum alias quoque nouo commodo, quod ad eos redundare debuit, novum conexum fuisset incommodum, sine dubio minus acceptum, si porro ipsorum vasalli in suis clientelis iuris participes fierent hereditarii.

§. LX.

§. LX.

Deinde restrictionem istam omni modo exigit *I. F. A. C. XLIII. & C. LXV. §. 1.* ubi apparet, nequidem eo tempore, quo huius iuris compilatio facta, receptam fuisse successionem collateralium extra Saxoniam, tantum abest, ut iam sub HENRICO VI. eam introductam esse arbitremur. Ut enim hic Imperator circa finem vixit seculi XII. ita conclamatum est, speculum Alemannicum perinde, ac Saxonicum, postea esse confectum, quamuis controuerti solet, quodnam altero sit antiquius, & ad imitationem alterius scriptum. LAMBECC. *de Biblioth. Vindob. L. II. C. 8.* SCHILTER *Praef. ad I. F. A. §. 15. seq.* THOMASIVS *d. select. cap. hist. iur. feud. §. XLV. seq.* HORN *I. F. C. I. §. 32.*

Est I. F. A. C. XLIII. & C. LXV. §. 1. quis tantum accipiat de feudis Landfassicis,

§. LXI.

Non iure in hoc argumento autoritatem speculi Alemannici in dubium vocat GVNDLING, quum penitus non sit verosimile, autorem in re, cuius exempla quotidie ante oculos habuit, hallucinatum esse. Quam rationem saltem hoc loco adduxisse, et, si ad extremum quis speculatorem de clientelis Principum interpretari pertinacius renuat, minimum intuitu beneficiorum Landfassicorum eum ab ulteriori oppositione vindicasse satis erit. Et quod ad Principum attinet clientelas, sufficit, dictum GERVASII locum non de lege stabili, quae successionem collateralium in clientelis Principum extra Saxoniam produxerit, accipiendum esse, sed de conuentione, quam HENRICVS cum regni Proceribus inire parauerat, quae

Non tamen fidem auctoris iuste in dubium vocat Gundling.

Geruasius Tilberiensis

H

vero

*de conuentio-
ne ad irritum
deducta agit.*

vero ob Saxonum & Pontificis contradictionem ad irri-
tum deducta omni caruit effectu, veluti tum ex ipsis
GERVASII *Otiis Imperialibus*, quum ex GOBELINI
PERSONAE *Cosmodrom. Act. VI. C. 61.* apud MEIBOMI-
VM T. I. *rer. Germ. p. 275.* CHRONIC. HALBER-
STAD. apud eundem MEIBOM. *Tom. III. p. 116.* &
